

Documenta quaedam de habitudine Abbatis Generalis Despruets († 1596) ad Congregationem Praemonstratensium Hispanorum

Documenta et acta non pauca meritissimi abbatis Praemonstratensis, Iohannis Despruets, olim collecta a Aem. VALVEKENS († 1944), edita fuerunt in *Anal. Praem.* XXX (1954) - XXXIV (1958). Obvium erat collectionem illam documentorum non exhaustire operositatem abbatis generalis Despruets. In specie ea quae egit Dominus ille Praemonstratensis pro retinendo vinculo arcto inter plures domos Ordinis in Hispania sitas et directionem centralem Ordinis incompleta erant. Notum est directionem centralem Ordinis plurimum defecisse per plura decennia saeculo decimo sexto decurrente, inter alia, eo quod Praemonstrati introducti erant abbates commendatarii : cardinalis Pisani (1535-1561), et cardinalis d'Este (1562-1572) ¹⁾. Quando, Iohannes Despruets, tandem, a Summo Pontifice, Gregorio XIII, anno 1573, denominatus et constitutus fuerit abbas Praemonstrati, et eoipso, abbas generalis Ordinis.

Interim Praemonstratenses in Hispania commorantes, incitante rege et dirigente nuntio Apostolico Ormaneto, sese practice segregaverant ab Ordine ; specialem congregationem constituerant cum statutis et capitulis pro Hispania. Plurima fata Congregationis illius Hispanicae iam descripta fuerunt ²⁾.

¹⁾ Cfr. P.-E. VALVEKENS, O. Praem., *Le Cardinal François Pisani, abbé commendataire de Prémontré (25 avril 1535 - octobre 1561)*, in *Anal. Praem.*, XVII, 1941, pp. 65-163; ID., *Le Cardinal Hyppolite d'Este, abbé commendataire de Prémontré (14 mai 1562 - 2 décembre 1572)*, in *Anal. Praem.*, XVIII, 1942, pp. 91-135.

²⁾ P.-E. VALVEKENS, O. Praem., *L'Ordre de Prémontré et le Concile de Trente. La Congrégation des Prémontrés d'Espagne*, in *Anal. Praem.*, VIII, 1932, pp. 5-24.

Ad munus abbatis Praemonstratensis vocatus, Despruets nihil revera omisit ut confratres sui Ordinis ad unum ovile Ordinis reducere posset. Intentum illud nonnisi partialiter obtinere ipsi abbati generali datum fuit ³⁾. Epistolae nonnullae de hoc negotio a Despruets in Hispaniam missae referuntur apud J. LEPAIGE, *Bibliotheca Praemonstratensis Ordinis*, Parisiis, 1634. Praecipua ex his impressa inveniuntur in *Anal. Praem.*, XXXI, 1955, pp. 152-158 ; 254-255. Litterae hae scriptae fuerunt anno 1581, quando dissensio inter utramque partem Ordinis iam quodammodo sopita erat et solutio, quae in datis adiunctis dari poterat, instabat, quamvis non definitive.

Documenta vero hanc discordiam illustrantia provenientia potius a Praemonstratensibus Hispaniae, qui sese ligatos censebant a praescriptis regis Hispaniae ac Nuntii Apostolici a J. GONI GAZTAMBIDE ⁴⁾, considerata fuerunt in conscribenda synthesi indicata.

In ms. Nancy, 993 vero collecta reperiuntur non pauca documenta de eadem quaestione agentia. Notae in hoc manuscripto collectae proveniunt a notitiis missis a St. de Noriega († 1739) abbati Hugo, cum iste elementa colligeret pro redigendis suis *Annalibus*, editis annis 1734-1736. In iis quae de Noriega hac ratione transmisit abbati Hugo, plures habentur litterae abbatis generalis Despruets, quae manifestant qua ratione abbas iste meritissimus revera nihil omisit ut unitatem nativam Ordinis sartam retinere posset. Ideo litterae istae transcendunt momentum mere historicum earum. Et ideo eas hic edere, opus non erit inutile.

Despruets anno 1573 a Summo Pontifice constitutus fuerat Abbas generalis Ordinis. Eodem decurrente anno, Praemonstratenses Hispani sese in Congregationem specialem segregaverant, cum propriis Statutis et propria organizatione. Abbates eorum deinceps erant triennales. Nuntius Apostolicus, Nicolaus Ormaneto, qui ad reformationem religiosorum in Hispania a Summo Pontifice, Gregorio XIII, potestatem iam antea ipsi collatam a S. P. Pio V, iterum recepit, praeses fuerat primi Capituli provincialis Praemonstratensium in Hispania. Ormaneto nova Statuta pro Praemonstratensibus illis redegerat ; quia, ita in praefatione ad illa Statuta, Statuta communia Praemonstratensium (anni 1505), « in multis deficiebant et

³⁾ Cfr. *ib.*, p. 24.

⁴⁾ J. GONI GAZTAMBIDE, *La Reforma de los Premonstratenses españoles del siglo XVI*, in *Hispania Sacra*, XIII, 1960, pp. 5-96.

in plerisque a recta regiminis et administrationis ac regularis observantiae ratione, qua his temporibus opus est, non parum discrepabant ».

Currente anno 1578, Despruets Romam tetendit. Et a S. P. Gregorio XIII varias bullas obtinuit, quae referuntur apud J. LEPAIGE, l.c., pp. 732-735. Privilegia pontificia antea Ordini concessa iterum confirmantur bulla « Cum a nobis petitur ». Contentum huius bullae ita exhibetur a Lepaige, l.c., p. 732 : « Privilegia, indulta, exemptiones, concessionem, iurisdictiones, Parochiales Ecclesiae et aliae beneficia Ecclesiastica, et iura Praemonstratensi Ordini concessa, quatenus sunt in usu, et decretis Concilii Tridentini non repugnant, approbantur et Apostolico munimine roborantur ». — Simul et alia Bulla a S. Pontifice abbati Despruets concessa est, quae magis determinata abbati Generali dicto concedit. Bulla ista « Quam grata Altissimo fuerit Praemonstratensis Ordinis institutio », haec, iuxta Lepaige, l.c., pp. 733-735, continet : « Iohanni Despruets Doctori Sorbonico, et Abbati Praemonstratensis Ecclesiae, tunc Romae esistenti, mandatur, ut omnia et singula quorumcumque Regnorum, Provinciarum, et locorum Monasteria utriusque sexus, necnon Prioratus, Praeposituras, Ecclesias Parochiales, Circarias, vel alio quovis modo nuncupatas Provincias, et Capitula, ac alia quaecumque eiusdem Ordinis Praemonstratensis loca regularia, etiam exempta, vel quocumque alio Privilegio, etiam Apostolica auctoritate eis concessa, suffulta, perlustret, visitet, ac iuxta regulae et Praemonstratensis Ordinis Statuta, Ordinationes et Concilii Tridentini decreta confirmet ».

Status rerum sane pro Despruets varia incommoda secum ferebat. Potissimum in iis quae Ordinem suum in Hispania in specie respiciebant. Ex una parte, Hispanis istis a Nuntio Apostolico, vi potestatis ipsi ad hoc a Summo Pontifice concessae, religiosos illos sub specialibus Statutis in novam quasi Congregationem coniunxerat ; ex altera parte abbati Generali a Summo Pontifice confertur potestas omnes domos Ordinis visitandi ac regendi et confirmandi « iuxta regulae et Praemonstratensis Ordinis Statuta, Ordinationes et Concilii Tridentini decreta ».

In litteris abbatis generalis Despruets duae personae Ordinis, ad abbatias Ordinis Hispanicas pertinentes, potissimum citantur. Unus est *Iohannes Martinez*, qui Romae Procurator Ordinis erat, ad hoc a confratribus Hispanis Romam missus. De Martinez hucus-

que non multa facta particularia nota sunt. Haec de ipso habet N. BACKMUND, *Los Abades trienales de la Congregacion Premonstratense de Espana*, in *Hispania Sacra*, XI, 1958, p. 31 : « Martinez, Juan, fil. de Medina, † 5.II.1594. — Provincial 1691-94. — Ab. de Medina 1571, 1582-91. — Rector en Salamanca tal vez 1576-79. — 1579-82 def. — ... Eximio de la reforma, procurador de la circaria en Roma 1571, obtuvo mucho en favor de su Orden... ».

Alter est *Hieronymus Calderon*, de cuius vitae curriculo plura nota sunt ⁵⁾. In ms. Nancy 993, p. 188, Calderon annumeratur inter religiosos celebres Hispanos. Et satis fuse de ipso agitur. Hac ratione :

« De Rmo P. Mag. D. fr. Hieronymo Calderon, Vitensi ⁶⁾ canonico semel et iterum Provintiali et electo Archiepiscopo.

Rmus Calderon, Soriae nobilibus parentibus natus, in Monasterio Vitensi Praemonstratensi professionem emisit, 12. Maii ann. Dom. 1560. Utque erat iuvenis, ingenio clarus, et minoribus satis instructus, maioribus studiis daturus operam primo Compluti, missus postea, erecto Salmanticae Ordinis Collegio, primus sub novo Rectore Collega Theologus pro Congregatione deputari meruit ; qui egregiis viris, quod in illa celeberrima Orbis Academia nostris clauere, facem proferre posset. Unde nec minus virtutibus, quam literis perspicuus evadens, Magisterii postmodum lauream alibi adeptus, unus ex primis Congregationis nostrae Magistris Generalibus iuxta Apostolicas litteras receptus fuit. Erat ecclesiastes insignis, atque adeo in Hispania satis notus, et suo tempore celebris. Ob rerum prudentiam et singularem observantiam, sui Monasterii per Conventum ter Abbas electus est. Rexit semel item Conventus Monasteriorum Sti Christophori de Ibeas, et Stae Mariae de Charitate. In primo Capitulo Provintiali ann. 1573. pro stabilienda Reformatione congregato unus ex primis diffinitoribus instituti fuit Magister Calderon. Bis electus Congregationis nostrae Provincialis, Re-

⁵⁾ Cfr. de Calderon, L. GOOVAERTS, *Ecrivains, Artistes et Savants de l'Ordre de Prémontré*, t. I, Bruxellae, 1899, p. 101 s. Scribit et ipse C. L. HUGO, *Sacri Ordinis Praemonstratensis Annales*, t. II, Nanceii, 1736, col. 663 : « comitate et convictu affabilis, toti Regno charus ».

⁶⁾ Vitis = La Vid fuit celeberrimum monasterium Ordinis in Hispana, in dioecesi Burgensi = Burgos. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon Praemonstratense*, t. III, Straubing, 1956, pp. 305-311 ; F. ROJO, *Monasterio de Santa Maria de la Vid*, Burgos, 1966. — Inde ab anno 1866, PP. Ord. Sancti Augustini monasterium istud inhabitant.

formationem pro qua quiete et pacifice, secundum Ordinis observantiam et statuta antiqua, stabilienda potissimum laboraverat, religiose promovit, et ad confirmationem pro tempore et Rmo D. Praemonstratensi gratiorem normam Apostolica facultate palpata, reduci obtinuit. Maximo — ita annotatur in ms. Vitensi — totius Religionis dolore (erat enim vir, quo nullus in ea fuerat egregior, quin imo et viris insignibus caeterorum Ordinum primis, in his partibus sub illa aetate litteris ac prudentia notissimis, clarior : atque ut talis in tota Hispania celebris) obiit in suo Monasterio electus Archiepiscopus in Regno Neopolitano ad instantiam Excellent. Comitis de Miranda pro tempore illius Regni Proregis. — Quodque eius religiosam humilitatem non parum commendat, insciis electionis ipsius in Archiepiscopum fratribus, in lateri acuto loculo post obitum schedula catholici Regis inopinate reperta est. Ex quo deprehenditur eum tanto muneri renuntiassse, ne forte fratrum suasionibus cogeretur. Eius obitus in Necrologio Vitensi sic annotatur : VIII. Id. Martii obiit Fr. Hieronymus Calderon, Magister in sacr. Theologia, et Diffinitor Ordinis, qui tribus trienniis rexit Abbatiam Sti Christophori. Fuit primus Collega Salmanticensis Collegii. Pater Religionis merito appellatus. Obiit ann. 1595. Fuit etiam executor Reformationis Ordinis Apostolica auctoritate. Et bis Provincialis ».

Ex iis vero quae in variis locis referuntur apud C. L. HUGO, *Sacri Ordinis Praemonstratensis Annales*, 2 voll. Nanceii, 1734-736, curriculum vitae Calderon ita exhiberi potest : Professionem religiosam emisit Calderon in abbatia Vitensi (La Vid). HUGO, l.c., II, col. 663, ita de ipso scribit : « comitate et convictu affabilis, toto Regno charus ». Mense 1568, cum aliis subsignat, in civitate Salmantina, contractum initum ab abbate Charitatis, de Villafane. Calderon haec addit : « Por mandado de su muy reverenda Padernidad, fray Hieronimo Calderon, Secretare ». Cfr. HUGO, l.c., II, Probationes, col. CCXLIV.

Anno 1571, Calderon abbas Vitis eligitur. Eo tempore, nuntius Apostolicus, Ormaneto, episcopus Patavinus, ad hoc a Summo Pontifice delegatus, reformationem quasi completam Praemonstratensium perficere intendebat ⁷⁾.

Abbates Praemonstratenses omnes ac singuli ab Ormaneto convocati sunt in Capitulum Provinciale in abbatiam S. Mariae de Hortis, prope Segoviam, die 29 septembris 1573. Iuxta HUGO, l.c.,

⁷⁾ Cfr. E. VALVEKENS, l.c., VIII, 1932, pp. 9-15.

II, col. 1137, Calderon hac occasione orationem inauguralem habuit : « luculentam habuit concionem ». In hoc Capitulo, Ormaneto omnes Abbates adhortatus est ut munus resignare vellent. Quod singuli Praelati statim fecerunt. Eadem occasione statim introducebatur usus eligendi abbates triennales. Et Calderon electus fuit in abbatem Charitatis (La Charidad) pro annis 1573-1576 : HUGO, l.c., II, col. 160.

Anno 1579, Calderon electus fuit in abbatem Retortensem (Retuerta), pro annis 1579-1582, et insimul provincialis Hispaniae : HUGO, l.c., p. 663. Praecise durante munere isto abbatis Calderon, Despruets plurimas scripsit litteras abbati Provinciali Hispaniae. Calderon ex sua parte litteras misit ad abbatem Generalem, quae in via deperditae fuerunt.

Demortuo Ormaneto (15 iunii 1577), ex variis partibus conatus adhibiti fuerunt ad hoc ut pax restitui posset inter Praemonstratum et Hispanos Praemonstratenses. Abbas Calderon revera nihil omis- sisse videtur ad hoc ut pax illa quam citius obtineri posset. Abbates Hispani miserunt epistolam collectivam Abbati generali, Despruets, ex abbazia Retortensi. Primus, qui hanc epistolam collectivam sub- signavit, erat Calderon. Calderon adiunxit litteras personales, diei 10 augusti 1581, e quibus obvie patet ipsum adlaborare ut pax et unitas mox restitui posset. Litterae illae referuntur apud J. LEPAIGE, *Bibliotheca Praemonstratensis Ordinis*, Parisiis, 1633, pp. 969-971.

Triennio 1579-1582 absoluto, Calderon electus est abbas Vi- tensis pro annis 1582-1585.

Cum Hispani, in Capitulo provinciali congregati, elegissent sibi in Provinciale, litteris diei 23 augusti 1585 Despruets constituit Calderon suum Vicarium generalem in Circaria Hispanica, et hac ratione eum constituit superiorem Provincialis ab ipsis Hispanis electi⁸⁾).

Mortuus est Calderon die 8 martii 1595.

1. Non pauca reperiuntur in ms. Nancy 993 documenta relata quae vitam et operositatem abbatis generalis Despruets novis ele- mentis ornare nata sunt. Documenta illa referuntur occasione expo- sitionis eorum quae saeculo decimo sexto a Praemonstratensibus

⁸⁾ Cfr. J. LEPAIGE, *Bibliotheca Praemonstratensis Ordinis*, Parisiis, 1634, p. 971 ; E. VALVEKENS, *Acta et Documenta Ioannis de Pruetis*, in *Anal. Praem.*, XXXII, 1957, p. 88 s.

Hispanis acta fuerunt aut ab aliis circa eos acta fuerunt relate ad Reformationem generalem apud eos introducendam.

Praemonstratenses Hispani eo tempore Romae habebant Procuratorem, ad Ordinem pertinentem, Iohannem Martinez, qui revera optime meruit de Hispania et de Ordine in genere. Teste I. LEPAIGE, l.c., pp. 743-744, a S. P. Gregorio XIII, obtinuit bullam *Romanus Pontifex*, diei 25 septembris 1572, vi cuius privilegia Ordinis Praemonstratensis Regnorum Hispaniae, quatenus sunt in usu, et non sunt alias revocati, vel oecumenici Concilii Tridentini decretis contraria, approbantur et confirmantur. Idem Martinez nihil revera omisit ut abbatiae Praemonstratensi abbas et caput introduceretur, revera ad Ordinem pertinens, et ita finis imponeretur infausto « regimini » Abbatis commendatarii. In notis a St. de Noriega abbati Hugo transmissis, cum iste editionem suorum Annalium pararet, conatus procuratoris Martinez satis fuse describuntur. Duo Cardinales, Pisani et d'Este, abbates commendatarii fuerunt Praemonstrati⁹⁾. Demortuo altero ex illis, d'Este seu de Ferrara, die 2 decembris 1572, iterum Praemonstratenses religiosum, ad Ordinem vere pertinentem, sibi in abbatem generalem constituere volebant. Quod, prae oculis habito facto duos Cardinales iam successive « munus » abbatis generalis sibi procurare potuisse, Romae obtineri debuit. Ad hoc, Martinez memoriale composuit. Quod ita refertur in ms. Nancy 993, p. 154.

« Cum Romae obiisset Illmus ac Rmus Cardinales de Ferrara, Protector Ordinis, et eiusdem Generalis, utpote Abbas commendatarius Monasterii S. Iohannis Praemonstratensis, nullum non movit lapidem, quatenus in totius Ordinis nostri reparationem praefatam Abbatiam, atque adeo Praemonstratensium caput, candidi Norbertini instituti Professoribus restitui faceret. Pro quo, memoriale sequens quod a Praemonstrato ad praedecessorem suum D. fr. Gundisalvum de Salas, Abbatem S. Saturnini¹⁰⁾, missum fuerat, et ad munus, si quando opportunior offerat occasio, habebat, SSmo cum alio supplicis libello, inferius etiam subiciendo porrigendum sine mora convenit.

⁹⁾ Cfr. n. 1.

¹⁰⁾ Agitur de abbatia S. Saturnini de Medina del Campo, in civitate eiusdem nominis, in dioecesi olim Salmantina, nunc Vallisoletana = Valladolid. De Salas abbas huius monasterii fuerat aa. 1567-1571. Cfr. N. BACKMUND, o.c., III, p. 277.

*Occasio excidii Monasterii Praemonstratensis, Capitis totius Ordinis,
et Monasteriorum ab ipso dependentium*

Anno Domini 1512. vel circiter ¹¹⁾ obiit Dominus ac Frater reli-

giosus Virgilius de Limoges, S. T. Doct. et Magister, Monasterii Praemonstratensis, Reformator egregius omnium sui Ordinis Monasteriorum ubique sitorum ; quo, ut decebat, sepulto, fratres Monasterii, praesentibus Patribus Abbatibus, adunantur, ut idoneum sibi Patrem Abbatem, prout iuris erat, eligerent, et dum in hoc negotio incumbunt : Ecce Rmus Cardinalis Pisanus a S. Sede Monasterium impetravit ¹²⁾, fucato quodam iure devoluto, cum tamen tempus eligendi a iure praescriptum nondum fuisset expletum : quod etiam si expiratum fuisset, — quod absit — et devolutum ad S. Sedem, dari tamen iure non debuit, nisi Religioso professo, attenta qualitate Monasterii, et habita ratione Capitis ; quod etiam expresse reseratum fuerat in concordatis Regis Christianissimi cum S. Sede. Subito horrenda multa, et nefanda scandala invecta sunt in Ordinem nostrum, capite nostrae piae et religiosae professionis sublato ; Praemonstrati primum, Missae celebrari solitae pro SSmo Papa et pro Regibus et Principibus omissae ; Disciplina Monasterii conspurcata ; studia sacrarum litterarum profligata tamquam vana ; Collegium Ordinis Lutetiae fundatum ita alienatum, ut vestigium, idque locorum restet ; visitationes et proprii et aliorum Monasteriorum neglectae ; etiam facere non poterat, cum esset Commendatarius.

Tunc Patres Abbates, qui adhuc erant religiosi in Gallia, perspicientes futuram Ordinis nostri cladem, et ianuam apertam ad omne flagitium, capite suae professionis fraudulenter et violenter sublato, de restituendo Praemonstrato, omnium Matrice, et ad Rmum Cardinalem Pisanum miserunt Abbatem S. Pauli Virdunensis, nunc Episcopum Virdunensem ¹³⁾ ; sed numquam Cardinalis Pisanus pre-

¹¹⁾ Abbas generalis de Limoges obiit die 14 aprilis anni 1533. Cfr. C. TAIÉE, *Prémontré*, t. II, Paris, 1873, p. 23.

¹²⁾ Cfr. E. VALVEKENS, *Anal. Praem.*, XVII, 1941, pp. 67-70.

¹³⁾ Episcopus iste est Nicolaus Psaume. Natus a. 1518, factus est abbas S. Pauli Virdunensis, a. 1538; episcopus Virdunensis a. 1548. Anno 1549 et 1562-1563, adstitit Concilio oecumenico Tridentino; in tertia periodo huius Concilii multa egit in statuenda doctrina et in indicandis abusibus occurrentibus circa sacramentum Ordinis. Celebre est eius *Diarium* Concilii, editum a S. MERKLE,

cibus sanctissimis, et litteris Regis Christianissimi, nec iusta compensatione proposita, eo adduci poterat ut Monasterio cederet. Florebant tunc multi Abbates, qui erant veluti columnae Religionis retinendae, in quorum locum suffecti sunt commendatarii laici, in Ecclesiae Romanae scandalum irremediabile, et Monasticae vitae et disciplinae perniciem. Omnia enim pietatis insignia dissipaverunt. Reluctantes eorum effrenatae libertati et libidini, et impietati, Religiosos abiecerunt; et in demortuorum locum nullum suffecerunt; quo lucrum sui coloni ulterius facerent et cultus Dei paulatim vilescebat; et haeresis sensim obreperet, quorum nomina scribere-mus, nisi haec nota et manifesta essent omnibus piis viris in Gallia.

Cardinales Rmi et Episcopi anno 1561, iussu Regis Christianissimi Poissiaci¹⁴⁾ congregati, audita nostrae calamitatis et totius Ordinis origine, et aequa lance trutinata, statuerunt: Rmum Cardinalem Pisanum Monasterium Praemonstratense non potuisse obtinere ullo iure, et electionem restituendam coenobitis. Quid factum fuisset, ne a suo devolutorio iure, quo triginta tribus annis usus fuerat, omnino detruderetur (prout decebat, et Patribus Galliae et Proceribus visum fuerat) commutat Monasterium et ius praetensum cum Rmo Ferrariensi¹⁵⁾, tunc in Gallia S. Sedis Legato, qui plus gratia valebat apud Regem, et Reginam Matrem. Tunc sane multiplicata sunt nostra mala, et vulnus recruduit. Hinc schismata in Monasterio, et in toto Ordine dissidia, iurgia, latrocinia, apostasiae, foedissimae haereses Ecclesiam Romanam infestabant catholicum orbem contaminantes; intermissa omnino Capitula Generalis in Capitis inopia. Quin etiam Vicarium Generalem non constituit¹⁶⁾...

Concilii Tridentini diariorum pars secunda, Friburgi Br., 1911, p. CXLVII s.; 851-873; C. L. HUGO, *Sacrae Antiquitatis Monumenta*, Stivagii, t. II, 1731, pp. 217-246. — Cfr. de Psaume, in genere: A. ERENS, *Nicolaus Psaume*, O. *Praem.*, in *Anal. Praem.*, XI, 1935, pp. 170-216; Id., *Nicolas Psaume*, in *Dictionnaire de Théologie catholique*, Parisiis, t. XIII, 1 p., 1935, coll. 1086-1093.

¹⁴⁾ Agitur de conventu, qui dici solet Colloque de Poissy. In quo « colloquio » Despruets celebrem habuit orationem. Cfr. *An. Praem.*, XVII, 1941, pp. 133-138. « A Poissy, Despruets prononça un retentissant discours sur la nécessité d'une réforme ecclésiastique et de la discipline régulière dans les couvents »: *ib.*, p. 133.

¹⁵⁾ Cardinalis Ferrariensis idem est ac Cardinalis d'Este. Cfr. E. VALVEKENS, in *Anal. Praem.*, XVII, 1942, p. 91-96.

¹⁶⁾ Cardinalis, abbas commendatarius, debebat Praemonstrati religiosum vicarium generalem constituere, qui, in praxi, Ordinem et monasterium regere debebat.

Concilium Tridentinum iubet restitui capita filiis Ordinum infra sex menses : aediles communia tela coniecerunt, in praxim omnia pessime ierunt in fide et moribus, bona meliora sunt abalienata et dispersita, vel rapta ; templum dirutum ; claustra subruta, nec est praesentium remedium, sanandis tantis malis grassantibus et vociferantibus Gallicis strepitibus, exterarum nationum Hispaniae et Germaniae de Capite Praemonstratensi querelis, haereticorum ultimorum et procul exultantium cavillis immodicis et incultis calumniis proferendis, quam si electio Coenobitis in integrum restituatur ; vel si religioso nostro in eadem professione diu facto conferatur. Ex quo prius dictus Rmus Ferrariensis hactenus recepit, et nullos recusans, ut probe norunt eius Vicarii, qui hic agunt, cum quibus saepe contendimus coram Rege, nobis beneviso et favente cum toto concilio suorum Principum, ad Illmum lucem odio prosequenti latebris occultis cum quibusdam laicis, iam duorum Monasteriorum commendatariis, rerum tamen Monasterii et nostri Ordinis omnium inquisitio ; qui facile habitum in Templo et claustris primo die, ut alii pro multis in Gallia se gestaturos publice absque rubore dictitant, quem statum clausulis Bullarum et comminationibus negatis, ad Vesperas et stationem pro casula confici curabant. Et sic erit error peior priore, et nomen nostrum Praemonstratense tamquam malum e medio tollent, et vitem incultam fatiscentem radicitus praecedent. Et nisi brevi Praemonstrati et Monasteriis, saltem super dictis, et quae ad proprias vacant, viri Religiosi exercitati in Ordine praeficerentur, nullum futurum est in Gallia Ordinis nostri Praemonstratensis vestigium... ».

Morto ergo Illmo Ferrariensi die 2 Decembris ann. Dom. 1572, corpus eius terrae commendatur, novus Curiae Cardinalis Estensis ¹⁷⁾ a SSmo obtinuit gratiam omnium Regularium praebendarum et beneficiorum defuncti Cardinalis. Nec dubitare vel potuit Abbatiam Praemonstratensem sibi forsitan specialiter denegandam, utpote super eius obtentu litteras habebat Regis Christianissimi ; eadem etiam impetrare tentabat quidam Datarius natione Gallus. Sed P. Procurator Martinez omnibus quae in reparationem collapsi Ordinis et disciplinae cedere poterant, intentus et vigilantissimus, statim adiens Cardinalem nostrum Lomellinum rogabat, ut Abbatiam

¹⁷⁾ Agitur hic de cardinali Ludovico d'Este (1538-1586). Cfr. R. BELVEDERI, *Este (Louis d')*, in *Dictionnaire d'Histoire et de Géographie ecclésiastique*, t. XV, col. 1051 s.

dictam a SSmo sibimetipsi impetraret. « Sciebat enim nulli alli vix facilius Ordini restitui pax ; nam Cardinalis nobis addictissimus procul dubio beneficium Ordini sine difficultate concederet. At Lomelinus qui in suam Diocesim ire viam parabat, iam a Pontifice licentiam ad hoc et benedictionem acceperat. Noluit super hoc iterum Summum Pontificem convenire... Cardinalis Papae alias gratissimus... existimabat, nulla via, praetensam Procuratoris in his circumstantiis desideratum finem habituram ». Sed nihilominus P. Martinez, adhuc in Domino confidens, cuius causam agebat, Illmum Cardinalem Boncompagno, SSmi nepotem, super illis alloquutus, deque Ordinis calamitatibus praeinsertam relationem ei ostendens, certiolem faciens, ab eo obtinuit, ut sequens memoriale Papae traderet.

Beatissime Pater,

« Cavetur in Constitutionibus Ordinis Praemonstratensis, a quamplurimis Romanis Pontificibus confirmatis, quod nullus possit obtinere aliquod Monasterium eiusdem Ordinis, nisi Regularis, et Tridentinum, inter alia, sess. 25 de Regularibus et Monialibus, cap. 21 ¹⁸⁾, ubi expresse praecipit quod Monasteriis, quae commendata reperiuntur, et quae suas Constitutiones habent, Regulares personae eiusdem Ordinis expresse professi et gregi praeire, et praeesse possint, praeficiantur. Quae vero in posterum vacabunt, non nisi Regularibus spectatae virtutis et sanctitatis conferantur. Et quod ea quae capita sunt Ordinum teneantur illi, qui illa in commendam obtinent, nisi Regulares essent, infra sex menses Religionem illorum Ordinum profiteri, alias commendae ipso iure vacare censeantur.

Supplicatur ergo V. S. pro parte totius Ordinis ut Monasterium S. Iohannis Praemonstratensis, quod est caput Ordinis in Francia situm, ne contra dispositionem Sacros. Concilii alicui in posterum commendetur, nisi eiusdem Ordinis expresse professo.

Personae autem eiusdem Ordinis professae, vita, moribus et doctrinae probatae, et quibus cura Ordinis huiusmodi merito committi possit, sunt quae sequuntur : Fr. Iohannes Despruetis, Prior

¹⁸⁾ Decretum Concilii Tridentini hic indicatum haec edixit: « Cum pleraque monasteria, etiam Abbatae, Prioratus, et Praepositurae, ex mala eorum, quibus commissa fuerunt, administratione non leviter passa fuerint tam in spiritualibus quam in temporalibus detrimenta; cupit sancta Synodus ea ad congruam monasticae vitae disciplinam omnino revocare. Verum adeo dura difficilisque est praesentium temporum conditio, ut non statim omnibus, nec commune ubique,

Collegii Universitatis Parisiensis ¹⁹⁾, praedicator famosissimus. Abbas Monasterii Stae Mariae de Corneto ²⁰⁾, Bisuntinae dioecesis ; Abbas Sti Iusti ²¹⁾ ; Abbas Sti Martini ²²⁾ : omnes isti sacrae Theologiae Doctores eminentissimi ».

quod optaret, remedium possit adhiberi; ut tamen nihil praetermittat, unde praedictis salubriter aliquando provideri possit; primum quidem confidit, sanctissimum Romanum Pontificem pro sua pietate et prudentia curaturum, quantum haec tempora ferre posse viderit, ut iis, quae nunc commendata reperiuntur, et quae suos conventus habent, regulares personae, eiusdem Ordinis expresse professae, et quae gregi praeire et praeesse possint, praeficiantur. Quae vero in posterum vacabunt, non nisi regularibus spectatae virtutis et sanctitatis conferantur. Quoad ea vero monasteria, quae capita sunt Primates Ordinum, sive Abbatiae, sive Prioratus, filiae illorum Capitum nuncupantur; teneantur illi, qui in praesenti ea in commendam obtinent, nisi sit eis de regulari successore provisum, infra sex menses religionem illorum Ordinum propriam solemniter profiteri, aut iis cedere: alias commendae praedictae ipso iure vacare censeantur. Ne autem in praedictis omnibus et singulis fraus aliqua adhiberi possit, mandat sancta Synodus, ut in provisionibus dictorum monasteriorum qualias singulorum nominatim exprimatur; aliterque facta provisio supreptitia esse censeatur; nullaque subsequenti possessione, etiam triennali, adiuvetur ».

¹⁹⁾ I. Despruets, natus a. 1521, canonicus erat S. Iohannis de Castella: St-Jean-de-la-Castelle, in Gallia meridionali. Ipsi committetur munus Abbatis Generalis a. 1573. Cfr. L. GOOVAERTS, *Ecrivains...*, t. I, pp. 182-184.

²⁰⁾ Abbas Corneti = Corneux, in dioecesi Bisontinensi = Besançon, erat Antonius Perchet, abbas aa. 1547-1576. Cfr. N. BACKMUND, *o.c.*, I, p. 362; E. VALVEKENS, *Une élection abbatiale à Corneux*, in *Anal. Praem.*, XI, 1935, pp. 17-26. In specie, p. 19: « En 1546, Antoine Perchet devint abbé de Corneux. Ce fut un prélat exemplaire. Aussi modeste que digne, durant le cours de son abbatiat, il fit preuve de toutes les vertus requises pour le bon gouvernement d'une maison. Parfait administrateur du temporel, il récupéra ce qui avait été aliéné auparavant; il parvint à accroître le revenu annuel jusqu'à le rendre suffisant aux besoins des religieux ». — In Capitulo Generali anni 1574, ab abbate generali Despruets constituitur visitator plurimum Circariorum.

²¹⁾ Abbas Sti Iusti = Saint-Just-en-Chaussée, in dioecesi Bellovacensi = Beauvais, erat, inde ab anno 1565, Adrianus de Mailly. Cfr. N. BACKMUND, *l.c.*, II, p. 566. — Praedecessor huius abbatis fuerat Iudocus Coquerel, qui per plures annos Vicarius generalis fuerat, eo nempe tempore quo commendatarii abbatiae Praemonstratensi praerant. Coquerel obierat 27 maii 1565.

²²⁾ Abbas Sti Martini Laudunensis erat, inde ab anno 1565, Antonius Visconti. De quo haec legimus apud E. VALVEKENS, *l.c.*, XIII, 1942, p. 115: « Un nouveau abbé de Saint-Martin de Laon venait de comparaître au Chapitre (général de 1565) dans la personne d'Antoine Visconti. Pendant assez longtemps, cette importante abbaye — la deuxième de l'Ordre — avait été aux mains d'un commendataire, le cardinal Charles de Lorraine. En 1565, celui-ci s'était démis de son abbaye, avec l'agrément de la Cour, en faveur de Visconti, milanais de naissance,

2. Nec multo post, nec diutius, ut in ipso praefertur, haeserat SSsmus in eligenda persona digniori ex his, quae in primo memoriali propositae sunt, aliud porrigi fecit R. P. Martinez, in quo pro meritis laudibus commendabatur prae aliis ad Generalatum Ordinis subeundum Rmus D. Despruetis ; quodque videre est apud LEPAIGE, *Bibliotheca*, p. 966, ubi sicut aliis in locis miramur, adeo sagacem rerum Ordinis nostri scrutatorem id tantum intuisse, quo Hispanorum Praemonstratensium solitudinem in propagando et rectificando nostro candido Ordine, et instituto, commendare poterit. Memoriale incipit : *Ne diutius S. V. haereat*, etc. ²³⁾ Cura igitur totius Ordinis illuxit clarissima utpote in qua dignitas Capitis, et Norberti Patris SSmi successio legitimis filiis restituta est proxima famosissimi viri fr. Iohannis Despruets, haereticorum omnium mallei, sed maxime Lutheranae haereseos, religiosae vitae exemplo, et puritatis doctrinae praedicatione profligatoris. Die 13. eiusdem mensis P. Martinez grates pro tanto beneficio SSmo reddidit ; qui ipsi praecepit, ut statim electum de sua promotione certiore faceret, et Romam illico accedere moneret. Sicut fecit, ad quem electus sequentem epistolam rescripsit.

*Epistola Rmi D. Despruetis ad R. P. fr. Martinez,
Procuratorem nostrae Congregationis* ²⁴⁾

« Religioso viro fr. Iohanni Martinez, Procuratori Circariae Hispaniae, Ordinis Praemonstratensis, salutem in Domino. Octavo die

religieux hiéronymite et docteur en théologie. Les bulles de Visconti portaient que celui-ci devait faire profession prémontrée. Visconti s'exécuta loyalement. Il gouverna donc l'abbaye de Saint-Martin comme abbé régulier. Au Chapitre de 1565, il fit vœu d'obéissance aux mains du nouveau vicaire, Tournebulle. Le Chapitre lui donna acte du fait que dorénavant il serait considéré comme abbé régulier ». Legitur in *Actis Capituli generalis anni 1565*: « Item, Capitulum Generale omnibus et singulis, quorum interest aut interesse poterit quomodolibet in futurum, notum fieri voluit quod R. D. Antonius, abbas S. Martini Laudunensis, suae provisionis ac possessionis litteras dicto Capitulo Generali insinuavit et notificavit, easque pro insinuatibus et notificatis haberi et reputari humiliter postulavit, nec non R. D. Abbati de Moncellis, vicario generali, in Capitulo obedientiam realem exhibuit et personalem per osculum pacis et iuramentum cum votis solemniter emissum ». Ms. Laon 538, p. 480.

²³⁾ J. LEPAIGE, *l.c.*, p. 966.

²⁴⁾ Recte scribit A. HUBER, O. Praem., *Spanien und die Prämonstratenser-kultur des Barock*, in *Histor. Jahrbuch*, LXII, 1953, p. 358: « Die Vermittlungs-

huius mensis, cum essem in civitate Belvacensi ²⁵⁾ (ubi toto Adventu contionatus fueram) tuae litterae, et Rmi Datarii redditae fuerunt. Quibus fuisse intellexi summam Dei misericordiam, et SSmi Pontificis erga Ordinem nostrum adstrictissimam charitatem et in me inexpectatam et inopinatam benevolentiam, et tuam ardentissimum Monasticae vitae zelum. Quo factum est, ut mihi indigno et omnium minimo, Monasterium Praemonstratense, caput Ordinis, conferretur. Nec dubito multos esse Romae et plures in Gallia (prout expertus sum his diebus) cupidos praefati Monasterii, cuius redditus sunt tenuissimi et his temporibus abalienati, divenditi, occupati, et dilapidati. Et Monasterium ipsum fere dirutum, maxime claustra, habitacula, officinae et onera gravia, et importabilia vectigalia, vel tributa, lites implacabiles et inextinguibiles, quo reliquo reddituum rebellio et defectio a capite. Quae omnia me deterrent; sed quia ita placuisse Deo et SSmo Pontifici, et collegio RR. Cardinalium, de Ordine benemeritis, me accomodet, me praeficiendo huic Monasterio et toti collapsio Ordini; compertoque quod mihi superest vitae, totum superimpendam capiti restituendo et membra ad necem usque sauciata, curando, et avulsa, et disiuncta readunando et reuniendo; ut tandem aliquando Dei gratia et favore Gregorii 13 reviviscamus et reluceamus.

Quod autem taxatum ais Monasterium Praemonstratense ad summam 2230 Ducatorum, fateor taxam hanc factam esse antiquis temporibus, quibus nemo eligebatur in Abbatem in aliis Monasteriis nisi praesente Domino Praemonstratensi, vel eius Vicario, et ab illo, cum magno suo commodo, confirmabantur. Et alia Monasteria non erant taxata; quia Praemonstratense Monasterium erat pro omnibus taxatum. Nunc vero omnia in Gallia et ubique sunt taxata, et litteras et Bullas accipiunt a Summo Pontifice. Ideo habenda est ratio temporis, quo taxatum fuit Praemonstratum et huius etiam aetatis miserae ac calamitosae. Ego igitur te, frater in Christo, rogo ut in hanc rem incumbas totus; ut qui bene coepisti, foeliciter pergas.

tätigkeit des spanischen Prokurators J. Martinez, die zur Ernennung des bedeutenden Joh. Despruets zum Abt von Prémontré führte, muss als entscheidend angesehen werden. Martinez wurde hierauf von Despruets zum Prokurator des Gesamtordens bestellt... Mit der Wiederherstellung des Ordensgeneralates trat ein neuer Faktor in die spanische Reformangelegenheit. Despruets, ein unermüdlicher Kämpfer für Ordenstradition und Zentralisation, sah in der spanischen Reform vor allem einen Uebergreif des Staatkirchentums ».

²⁵⁾ Beauvais, nunc sedes episcopalis.

Ut, si fieri potest, in Paschate habeam Bullam ad celebrandum Capitulum Generale et ut praesideam rebus Monasterii et Ordinis²⁶⁾. Sequensque mandatum Rmi Cardinalis Sanz, id est Peleve, et Senonensis Archiepiscopi, et Rmi Dni Datarii; nec tabescas petere gratis Bullas, vel saltem exiguo pretio; et poteris offerre ad hanc rem obtinendam libellos supplices, his maxime quibus nostra Monasteria commendata sunt. Inter quae est Illmus Farnesius, qui habet Monasterium Belliportus in Britannia²⁷⁾, et aliud apud Clarum Montem in Alvernia Monasterium S. Andreae²⁸⁾. Et significabis per litteras cuinam ex Abbatibus Hispaniae potero Vicariatum mittere²⁹⁾, adepta possessione, ad regendum Monasteria Hispaniae tantisper, donec mihi per otium liceat Romam adire, exosculandi pedes Summi Pontificis gratia. Hinc navigabo Hispaniam, ut vos liberem ab Hieronymitis³⁰⁾, et ab aliis hostibus. Et scribes mihi, quodnam Monasterium est nostri Ordinis Romae, Te commendando Summo Pontifici et Rmis Cardinalibus. Tu omnia curabis foeliciter et diligenter, ac prudenter, prout de te bene speramus. Nec erimus immemores tuorum laborum, si quando eos compensandi occasio sese offeret. Salutant te omnes fratres mei. Meque commendatum habeas in tuis precibus. Ego enim Deum precabor, ut sit tibi propitius et confortaret omnia tua negotia. Datum Lutetiae, in Collegio nostro Praemonstratensi pauperculo. Die 25 Ianuarii 1573. — Tuus in Christo Fr. Iohannes Despruetis ». — Et a tergo: R. ac Religioso viro fr. Iohanni Martinez, Procuratori Generali Circariae Mo-

²⁶⁾ De facto Despruets nondum receperat bullas authenticas praelaturae; ideo praeses non fuit Capituli generalis anni 1573, cui praesidebat Visconti. In Actis huius Capituli de praesentia Despruetis in Capitulo illo nihil dicitur.

²⁷⁾ Bellus Portus = Beauport, in dioecesi Briocensi = St-Brieuc. Inde ab anno 1560, Cardinalis Farnesius abbas commendatarius illius abbatae erat. Cfr. N. BACKMUND, o.c., III, p. 17.

²⁸⁾ Agitur de abbazia Novemfontium = Neuffontaines, apud Clarum Montem, seu Clermont. Annis 1566-1579, Blasius Lappelain ibidem commendatarius erat. Cfr. N. BACKMUND, o.c., III, p. 153.

²⁹⁾ Despruets abbatias Hispaniae sub suo unico gubernio aggregare vult. Iuxta statuta Ordinis vicarium suum generalem in Hispania designare intendit. Rogat cfr. Martinez, procuratorem, cuinam ex religiosis Hispanis iste vicariatus digne committi possit.

³⁰⁾ Hieronymitae nonnulli in Hispania intentionem habebant Praemonstratenses Hispanos ad eorum Ordinem aggregare. Cfr. *Anal. Praem.*, VIII, 1932, p. 8; *Hispania Sacra*, XIII, 1960, pp. 4-47.

nasteriorum Hispaniae, Ordinis Praemonstratensi, commoranti in Monasterio Sti Marcelli ».

3. Non multo post Despruets litteras mittit Iohanni Martinez, quibus ipsum in Procuratorem totius Ordinis Romae eligit ; scribit insuper abbati Retortensi, de Segovia ³¹⁾ ; huic committit munus Vicarii abbatis Generalis et facultatem reformandi monasteria Ordinis in Hispania committit.

Duae litterae illa referuntur in ms. 993 Nancy, p. 157, et ita sonant :

Epistola D. Praemonstratensis ad R. P. fr. Iohannem Martinez

« Fratri Iohanni Martinez, salutem et gratiam optamus.

Mirari non debes, frater, si statim Bullis nostri Monasterii receptis, non rescripserim, continuo enim in aulam Regiam me contuli, ut curarem diligenter Regi Christianissimo, et eius consilio, litteras provisionis gratas esse. Quod tandem per Dei gratiam praestiti. Demum domum nostram Praemonstratensem appuli. Quam florentissimam olim magna cum voluptate videram, nunc magna ex parte dirutam, magno cum dolore cogor intueri, maxime claustra, quae non modo magnifica, sed et religiosissima erant ; nam pene prostrata, alia eminentem ruinam brevi minantur. Missos facio redditus divenditos. Et gravor, uti nosti, aere alieno, quod debeo trapezitis Parisiensibus pro expeditione Bullarum. Sed si Deus mihi vitam pro sua ineffabili gratia impertiatur diuturnam, dabo omnem operam ut satisfaciam omnibus. Hoc unum me consolatur : Fratres enim nostros Praemonstratenses, numero triginta, obedientes reperio, et ubi primum constituero illis leges Monasticas. Quibus observatis, aliis prae luceant. Monasteria proxima visitabo et pro viribus reformabo. Interim mitto tibi procuratorium agendi omnia nostra et Ordinis negotia, Romae et in aula Pontificis Maximi. Et Vicariatum Abbati de Retuerta pro Circaria Hispaniae peragat, eamque observari curet. Ac tallias et contributiones Capitulo Generali quidem debitas, a singulis Monasteriis persolvi faciat, et in posterum exigat et mittat tibi omnes dictas contributiones, ubi primum receperit. Quas cum receperis, dabis Domino Hatton, qui multum laboravit

³¹⁾ Retorta seu Retuerta, in dioecesi Palentina = Palencia. Annis 1571-1573, abbas ibidem erat Ambrosius de Segovia. Cfr. N. BACKMUND, o.c., III, p. 282.

pro nobis, quindecim ducatos, vel saltem decem, et pro te totidem accipies. Et proximo Capitulo Generali, si adhuc Romae manseris, constituemus tibi aliqua stipendia cum ampliori et copiosiori procuratione. Tu pro tua prudentia dabis operam ut aliqua Monasteria in Gallia, ubi omnia pene sunt commendata, Religiosis dentur. Qui me possint iuvare in tanta sarcina Ordinis ferenda, quorum nomina et cognomina tibi mittam. Et quia mala omnia sigillatim non sunt mihi nota, ut remedium ea curandi a S. Sede Apostolica petamus, ideo de his plura scribere non possum. Sed per primum quum fecero, et quid te pro nobis apud S. Pontificem facere oporteat, copiosius rescribam. Interim salutabis meo nomine magna cum humilitate Illmum Cardinalem de Pelleve, Rmum Datarium : pollicerisque me illis fore observantissimum, nec unquam ingratum tantorum beneficiorum in me, et Ordinem nostrum perditum, collaturum. Et Dominum Hatton, ad quem, cum ero nummator, scribam. Modo omnibus, quae nos scire decet et expedit, certiore facies. Vale. Datum Praemonstrati XV. Iunii MDLXXIIJ. Poteris legere litteras nostras, quae scribo Domino Abbati de Retuerta. — Tuus veluti frater, et Pater. fr. Iohannes Despruetis, Abbas Praemonstratensis ».

*Epistola eiusdem Rmi P. Generalis
ad R. P. Abbatem Retuertensem* ³²⁾

« Rdo Confr. et coabbati nostro Domino Abbati de Retuerta, Vicario nostro in Circaria Hispaniae. Salutem et gratiam impartimur. Grates mihi fuerunt tuae litterae, Pater, et frater in Christo, quibus mihi ad dignitatem Abbatis Praemonstratensis provento, vehementer gratularis, eamque mihi diuturnam et Ordini nostro sacro officio proficuum, optas. O ! utinam causam gratulandi habuisses ; vetustam navem vehementer confractam indignus ego, infimusque suscepi. Utique sane fluctus intrarunt, et quotidiana ac valida tempestate quassatae putridae tabulae naufragium sonant ; illudque patiemur, nisi Deus Omnipotens nos de tantis malis eripuerit. Et quisque nostrum omnibus velis et ramis intendat, navem hanc nostram mecum ad portum salutis adducere. Cuius rei te fidum, et strenuum socium sum arbitratus, teque in partem solitudinis assumpsi, more meorum maiorum, qui tuos praedecessores propter

³²⁾ *Ibidem.*

fidem et religionem illorum Vicariatum in Circaria nostra Hispaniae ornarunt, eodem tuam fraternitatem decorandum putavi. Te rogamus, ut singula Monasteria nostri Ordinis invisas, et membra confracta vel sauciata sanes, mores corruptos castiges et quosque vivere cogas iuxta Regulam B. Augustini et Statuta Ordinis nostri. Nosque certiores facias de omnibus, quae feceris. Et tallias, contributiones debitas Ordini et Capitulo Generali, et a multis annis non solutas, exigas et repetas, quas mittes Romam fratri nostro Iohanni Martinez, Procuratori Generali nostro Romae, pro negotiis expediendis, vel saltem iuvandis, qui ad me rescribet et mittet, quae volueris. Purganda sunt Monasteria Ordinis in Gallia et Flandria ³³⁾, priusquam Hispaniam commigrare possim. Habeo messem multam sed operarios paucos. Bene vale, Pater, et saluta fratres nostros, quod omnes incolumes et salvos. in Christo volo. Datum Praemonstrati XV. Iunii MDLXXVIIJ; Tuus frater et Coabbas. Fr. Iohannes Despruets. Abbas Praem. ».

Simul cum litteris modo indicatis, Despruets facultates speciales concedit abbati Retuertensi ab ipso in Vicarium suum generalem in Hispania assumpto. Etiam litterae has facultates continentes referuntur a ms. Nancy 993, p. 157. Et ita sonant :

Facultas D. Despruetsis Abbati Retortensi missa cum Vicariatu

« Iohannes Despruets, S.T.D., Dei et Apostolicae Sedis gratia humilis Abbas incliti Monasterii S. Iohannis Bapt. Praemonstr., Laudunensis dioecesis, Ordinis caput, et Reformator Gener. Christianissimi Francorum Regis Caroli Consiliarius et Eleemosinarius. Dilecto in Christo et fratri nostro Abbati de Retuerta in Circaria Hispaniae, salutem et piaae paternitatis affectum. Quia sollicitudine contringimur, ut oves dispersas in unum revocemus, et ad observationem Regulae S. P. N. Augustini, ac trium votorum et statutorum sacri nostri Ordinis fratres nostros incitemus, exhortamur et rogamus ut tandem omnes loetabundi Christo sponso nostro obviam cum ardentibus lampadibus occurramus, nullum mihi pro tempore hoc

³³⁾ Cfr. P.-E. VALVEKENS, *Le Chapitre national néerlandais de 1572*, in *Anal. Praem.*, VI, 1930, pp. 74-101; Id., *De Sint-Michielsabdij te Antwerpen vanaf 1564 tot 1596. Bij het ontstaan der Nederlandsche Beroerten*, in *Anal. Praem.*, II, 1926, pp. 280-287. Despruets timebat ne et abbatiae Neerlandicae sese a Prémontré practice separarent; ideo statim conatibus illis finem imposuit.

occurrere promptius remedium reformandi Circariam nostram in Regno Hispaniae, quam perficere iam foeliciter coeptam per foel. rec. Pii PP. 5 Pontificis Dominum Nuntium ³⁴), et continuatam Gregorii 13 Pontif. Max. iussu ob diuturnam inopiam regularis Abbatiss Monasterii Praemonstratensis, cui Nos nunc Deus et S. Sedes Romana praefecit. Et cum nunc non liceat Nobis propter graviora impedimenta Hispaniam visitandi vos gratia adire : idcirco Nos de tua religione, fide, et diligentia confidentes, Te constituimus et ordinamus et instituimus nostrum in spiritualibus et temporalibus et temporalibus Vicarium Generalem. Dantes et concedentes tibi plenariam potestatem visitandi et reformandi omnia et singula Monasteria, Ecclesias, et loca ab eodem nostro Ordine dependentia, secundum Deum et nostri Ordinis Statuta, et sanctas ordinationes, incipiendo tam in capite, quam in membris, confessiones regularium audiendi, poenitentias salutare inungendi, et a suis peccatis absolvendi, Abbates et religiosos vagabundos, dispersos et apostatas revocandi et redintegrandi : rebelles et contumaces, invocato, si opus fuerit, brachio saeculari, capiendi, arrestandi, seu capi et arrestari faciendi et incarcerandi, ac poena maioris culpae mulctandi, et alias multas poenas secundum exigentiam criminum, statutorum, in statutis nostris designatorum, infligendi : illos ad habitum decentem et tonsuram deferendam cogendi, cultumque divinum, Matutinas, Missas et horas canonicas nocturnas et diurnas celebrandi, disciplinamque regularem per fratres, secundum tria Religionis vota observari ad unguem faciendi : Religiosos Presbyteros et novitios in Monasteriis his indigentibus de novo ponendi, introducendi, vestiendi : Professiones solemnes ab ipso ritu Ordinis recipiendi : Delinquentes in Deum et Religionem, seu Ordinem nostrum, inquietos, turbulentos et scandalosos, Abbates, Priores, subpriores et alios, ad alia Monasteria mittendi ad tempus et poenitentia per eos legitime peracta ad sua propria Monasteria revocandi, et ad suos gradus et pristinos honores restituendi : contractus, villas, et traditiones in emphyteusim, seu ad omnes pro commodo et utilitate Monasteriorum, seu Ecclesiarum secundum informationem per deputatos, prius fidedignis testibus super hoc vocatis, omologandi, et litteras fieri ordinandi etiam coram Apostolicis, seu Regiis Notariis concedendi, Cassus (sic !) seu causas graves et difficiles, si supersint, ad Nos, seu ad Capitulum Generale definiendos remitti curandi : nec-

³⁴) Ioh. Baptista Castagna. Cfr. *Hispania Sacra*, XIII, 1960, p. 3.

non Tallias, seu distributiones ordinarios cuiuslibet Monasterii Capitulo Generali quotannis debitas, tam pro annis praeteritis, quam pro hoc anno Capitulo proximo per Nos (si Deus permiserit) Praemonstrati celebrandi ³⁵⁾ et tam pro celebratione eiusdem Capituli, quam pro refectione et restauratione domus vestrae Circariae in hoc nostro Monasterio Praemonstratensi vim et ruinam passo ; quam pro tuendis et conservandis Privilegiis et honoribus nostri Ordinis solvi cogendi et ad nos secure mittendi : lura visitationis, et reformationis nobis et tibi debita per Abbates seu Patres Monasteriorum solvi prosequendi et procurandi, censurisque Ordinis secundum Privilegia eiusdem contra eos, et Apostolica utendi et absolvendi. Et generatim omnia faciendi et agendi, quae nos ageremus seu agere possemus, si praesentes interessemus, etiam si tales forent, quae mandato magis speciali indigerent. Haec, et alia praemissa et circa ea necessaria exequendi, et faciendi, tibi in Domino facultatem et auctoritatem usque ad proximum Capitulum Generale. Datum in Monasterio Praemons. Capite totius Ordinis sub sigillo nostro, et Ordinis, signo nostro manuali. Die, ut supra, etc. ».

Interim vero in Hispania, res Ordinis eo pervenerant, ut reformatio introducta fuerit, independenter ab abbate Generali Ordinis, qui per plura decennia defuerat. Abbas Generalis Despruets constituit abbatem Retortensum in suum Vicarium Generalem. Hispani vero hunc iam constituerant Provincialem. Litterae abbatis generalis Despruets proinde non parum turbabant Hispanos. Provincialis ergo censuit se recte agere mittendo litteras abbati generali Despruets, in quibus statum hunc rerum exponeret. Quae litterae etiam in ms. Nancy 993, l.c., referuntur.

*Epistola Provincialis ad D. Despruets,
Abbatem Praemons. et General. Ord.*

« Rmo in Christo Patri fr. Iohanni Despruets, Abbati Monasterii Praemonstratensis, et totius Ordinis Generalis, Christianissimi Regis Francorum Consiliario, et Eleemosynario, fr. Iohannes del Puerto ³⁶⁾,

³⁵⁾ Capitulum Generale de facto celebrabitur anno 1573, sed quin Despruets ipsius praesidium assumpserit: nondum enim tunc bullas suas authenticas receperat.

³⁶⁾ Iohannes del Puerto anno 1582 electus fuerat Provincialis et abbas Retortensis.

vocatus Abbas de Retuerta, Provincialis in his Regnis Hispaniarum, debitam reverentiam et obedientiam impartitur.

Ut in Monasteriis S. Ordinis nostri in his partibus consistentibus Regularis disciplina vigeat, et debitus honor D.O.M. tribuatur, decensque famulatus impendatur SSmus D. N. Gregorius multas saluberrimas edidit constitutiones et inter alias una est : ut in hac Circaria Hispaniae unus sit Provincialis in uno Capitulo de triennio in triennium eligendus, ad quod omnes Abbates et unus Procurator pro quolibet Conventu conveniant, tum ad eligendum praefatum Provincialem, tum etiam ad alia negotia gerenda et tractanda, quae statum omnium Monasteriorum et personas huius Provinciae tangunt et concernunt. Qui Provincialis inter sex menses a Vestra Revma Paternitate confirmationem suae electionis debet obtinere. Et cum praedictum Capitulum Provintiale in quodam Monasterio huius Circariae, de los Huertos nuncupato ³⁷⁾, Dioecesis Segoviensis, in festo S Michaelis proxime praeterito celebratum sit, ubi omnes praefati Abbates et Procuratores (dempto Abbate de Bellpuig, qui contumax et rebellis existit ³⁸⁾) convenerunt. Cui Autoritate Apostolica praefuit Illmus et Rev. D. Episcopus Patavinus ³⁹⁾, eiusdem SSmi in his Regnis Hispaniarum Nuntius, D.O.M. pro sua ineffabili misericordia voluit ut, me praefatus Rmus Nuntius ad opus ministerii assumeret, et Capitulum in Provincialem suum in his Regnis Hispaniarum eligeret. Et licet meam imbecillitatem videns, et virium mearum imparitatem ad tantam sarcinam supportandam considerans, praefatum Rmum Nuntium supplexe orarem, ut me ab hac provincia liberum redderet, et alium fratrem commodiorem et sanctiorem designaret, tandem hanc gratiam obtinere non valens, annui, et obedientiam libenter accepi, potius de bonitate Dei, quam de meis viribus confidens, qui non dedignabitur ad me adiuvandum festinare, et mihi suum auxilium, et favorem praebere. Quapropter cum ista electio a Vestra Paternitate sit confirmanda, hae meae litterae coram Vestra Paternitate cum omni humilitate et subiec-

³⁷⁾ Abbatia Hortorum, seu S. Mariae de Hortis, in civitate Segoviensi. Cfr. N. BACKMUND, o.c., III, pp. 289-293.

³⁸⁾ Bellipodium seu Bellpuig seu S. Maria de las Avellanas, in dioecesi Urgellensi. Cfr. N. BACKMUND, o.c., III, pp. 162-168.

³⁹⁾ Nicolaus Ormaneto, die 23 aprilis 1573, qua nuntius Apostolicus in Hispania, iussus erat executioni mandare ea quae S. P. Pius V antea edixerat de reformatione domuum religiosarum. Cfr. *Anal. Praem.*, VIII, 1932, p. 12 s.

tione prostratum repraesentant, ut iuxta voluntatem SSmi D. N. in Provincialem huius Provinciae me indignum confirmaret. Dabo namque operam, ut nitor et splendor plenior antiquus nostri Ordinis in his partibus restauraretur, divinus cultus augeatur, et Revmae Paternitati tuae sit integre satisfactum. Nec ignoro, P. Rme, ad hanc confirmationem petendam, atque obedientiam praestandam, duos fratres coabbates nostros fore mittendos; tamen tanta est itineris longitudo et paupertatis depressio, ut vix sine certo periculo fieri possit. Ideo Rmi Nuntii consilium sumpsi, qui hac nostras litteras ad R. P. V. dirigere fuit dignatus. Vale, P. Rme, et Nos ut filios ama. Ex nostro coenobio de Retuerta, die 20 Decembr. 1576. — Stae Rmae Patern. humilis filius. fr. Iohannes del Puerto, ille qui supra, manu propria ».

4. Cum vero Hispani Praemonstratensis nossent abbatem Generalem constituisse Vicarium suum Generalem in Hispania, verentes ne Despruets electionem Provincialis non admitteret, confirmationem electionis in Provincialem a SSmo, per intermedium Nuntii Apostolici, nisi sunt obtinere. Quibus litteris confirmatoriis acceptis, Nuntius Apostolicus, vi facultatum obtentorum, electionem factam confirmat. Tenor illius confirmationis sic sonat :

Confirmatio Abbatis Retortensis, R. D. fr. Iohannis del Puerto, in primum Provincialem huius Congregationis

« Nicolaus Dei et Ap. S. gratia Episcopus Patavinus, etc. N. in Christo P. Iohanni del Puerto, Provinciali Ordinis Praemonstratensis in Regnis Hispaniarum, salutem in Domino. Nuper accepimus litteras Apostolicas praefati SSmi D. N. D. Gregorii P.P. 13. in forma Brevis, sub annulo Piscatoris, quibus Sanctitas sua nobis concedit facultatem confirmandi electionem de persona tua in Provincialem dicti Ordinis in Hispania pridem factam. Quarum quidem litterarum tenor talis est : A tergo videlicet : V. fr. Nicol. Ep. Patavino in Regno Hispaniarum nostro et Ap. Sedis nuntio. Intus vero : Gregorius PP. 13. Ven. frater, S. et Apost. Benedictio. Requirit pastoralis officii cura nobis ex alto commissa, ut circa personas ecclesiasticas, praesertim Regulares in sanctis semitis dirigendas, diligenter invigilemus. Cupientes igitur, ut dilecti fratres Ordinis Praemonstratensis Hisp. sub eorum Regularibus institutis, rectaque disciplina, ac probati vivendi norma, iuxta Reformationem man-

dato foel. rec. Pii P.P. 5. praedecessoris nostri factam degant et in ea contineantur, intelligamusque, dilectum filium Iohannem del Puerto, modernum eiusdem Ordinis in Regnis Hispaniarum Provinciam, ad id maxime aptum et idoneum esse. Tibi, ut dictum Iohannem, quam confirmandi ad sex menses tibi alias facultates damus, in eodem Provincialatus officio, si tibi expediens esse videbitur ad triennium a die factae electionis in Provinciam cum honoribus, et oneribus, caeterisque solitis et consuetis, confirmare libere et licite possis, autoritate apostolica concedimus per praesentes. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus Apostolicis, dictique Ordinis Statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris Apostolicis, illi et eius Generali, seu aliis superioribus quomodolibet concessis, et confirmatis, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die 20. Dec. 1573. Pont. nostri anno 3°. Caesar Gloriosus. — Proinde Nos attendentes, quod Paternitas tua Provincialatus officium tibi commissum, ita laudabiliter, authore Domino, hucusque gesseris ut in eo non parum commendari merearis, ac propterea expediens esset iudicantes, ut dictam electionem confirmemus, Te in Provincialis officio ad triennium a die electionis de te in Provinciam factae, cum honoribus et oneribus, caeterisque solitis et consuetis, autoritate Apostolica, iuxta facultatem per praesentes author. Apost. nobis concessam, tenore praesentium confirmamus. Non obstantibus omnibus quae Sanctitas sua in praemissis voluit non obstande. Datum Matriti, Toletanae Dioecesis. Anno Incarnationis Dom... ».

5. Die Dominica SS. Trinitatis, anni 1576, in Provinciali Capitulo Praemonstratensium Hispanorum, novus Provincialis electus a Patribus Capitularibus : Didacus de Vergara ⁴⁰⁾. Iuxta decisionem

⁴⁰⁾ Didacus de Vergara fuit inter celeberrimos Praemonstratenses Hispanos. Obiit anno 1601. « Litteris apprime ornatus, Antiquarius insignis, observantiae zelo nulli secundus, quinque in diversis Monasteriis electus abbas, monumenta in singulis eruditionis suae reliquit, sagax Chartophilaciorum explorator. Vix credibile est quot ascetica et polemica opera composuerit, homo alioqui Reformationis, vel maximum portans pondus, et promovens propagationem ». Cfr. L. GOOVAERTS, o.c., t. II, p. 334 s. — In ms. 993 Nancy, p. 168, encomium Vergara hac ratione exhibetur: « Venerab. P. fr. Didacus de Vergara, vir quacumque laude superior, cedro dignior, mirum in modum laboriosus, spiritualis, religiosus, spiritualium bonorum oeconomia unicus, observantiae reparator, sanctae sinceræ

eiusdem Capituli, novus Provincialis, simul cum PP. Definitoribus Provinciae, litteras miserunt Rmo Domino Praemonstratensi, ut ab eo obtinerent confirmationem electionis de se factae. Epistola illa est sequentis tenoris (ms. Nancy 993, pp. 158-159) :

*Epistola R. P. Provincialis Vergara ad D. fr. Iohannem Despruetis,
Ordinis Generalem*

« Rmo in Christo Patri, et Domino Iohanni de Pruetis, Abbati Monasterii S. Iohannis Baptistae de Praemonstrato et a consiliis in Curia Galliae, sui filii, Provincialis et Diffinitores in Provincia Hispaniae, salutem plurimam et veram dicunt in Domino obedientiam.

Per alias litteras ab Antecessore meo, et Diffinitoribus Congregationis Hispaniae, iam sunt fere tres anni transacti, ad tuam, Rme Pater, missas renuntiatum fuit. De statu huius Circariae et Provinciae, quomodo scilicet Apostolica auctoritate reformata fuerit, et reducta fuerit ad Regularem observantiam. Item qualiter de triennio in triennium celebretur Capitulum Provinciale, ad quod omnes Ab-

Reformationis promotor, fatali extinctioni iamiam proximae Ordinis Praemonstratensis in Regnis Hispaniarum restitutor, tantus, inquam, tantisque et maioribus encomiis extollendus candidi nostri Norbertini coetus alumnus,... Fuerat iam antea in saeculo minoribus, maioribus studiis satis instructus. Quamobrem, statim, ut erat antiquarius insignis, et scribendi arte perpolitus, obligatus ab anno 1554, ex vetustis exemplaribus elegantissimo caractere transcripsit *Ordinarium* et *Vitam S. P. Norberti*. Quam postea in Castellanum idioma vertit, et erudito prologo ornavit... In Collationibus Patrum evolvendis et ruminandis assiduus erat, sicut et aliis veterum Monachorum insignium monumentis et Religiosorum virorum scriptis. Sic, pro posteris proficere, nec minus idioma nostrum ditare studens, *Cassiani opera* cum annotationibus..., *Regulasque Pachomii, Serapionis, Macharii, et alterius Macharii*, etiam in idioma vulgare transtulit, summoque labore correcta reddidit, queis Prologum eruditissimum praefexit... Praeterea idem Ven. P... fere septuagenarius pace et ingenii et calami dexteritate translationem omnium *Operum S. Thomae a Kempis* ann. Dom. 1596 aggressus est... Tractatus quos traduxit, sunt sequentes: Sermones 30 ad Novitios et 9 ad Fratres. — Alphabetum Monachorum. — Manuale iuvenum. — Quinque libri de disciplina Claustralium. — Dialogus Novitiorum. — Doctrinale iuvenum. — Enchiridion fidelis cellarii. — De sacramento Altaris. — De vita solitario et de silencio. — De tribus Tabernaculis. — De vera compunctione. — Hortulae Rosarum. — Vallis Liliorum. — Hospitate Pauperum. — Vitae Gerardi Magni. — D. Florentii et Discipulorum. — D. Iohannis Gronde. — D. Roberti Berneri. — D. Gerardi Zutphoniensis. — D. Aemilii Burensis. — ... Vita etiam Thomae Kempis. — Offert in fine alio volumine comprehendere Epistolas et insignem tractatum de Imitatione Christi ».

bates et unus Procurator pro Conventu quolibet conveniunt, qui unum eligunt Provinciale, et quatuor Diffinitores. Qui Diffinitores simul cum Provinciali eligant Abbates ad omnia Monasteria illius Provinciae, et etiam Rectorem ad Collegium quod in Salmanticensi Academia ⁴¹⁾ nuper erectum est. In quorum omnium. et aliorum in dicta Reformatione contentorum executionem, Revmus Episcopus Patavinus, Nuntius Apostolicus ⁴²⁾, Reformator nostri Ordinis in his Regnis, Capitulum Provinciale ad diem SSmae Trinitatis anni currentis 1576, in Monasterio B. Mariae de Retuerta (ubi sedes est Provincialis) quibusdam de causis congregari mandavit. In quo (ipso-met Praesidente) electus fui canonice, ego fr. Didacus de Vergara, indignus abbas Aguilarensis ⁴³⁾, in Abbatem praefati Monasterii de Retuerta et in Provinciale nostri Ordinis in his Regnis Hispaniarum. Et quia mihi simul cum quatuor Diffinitoribus Capituli incumbit tuam Revmam Paternitatem de ista electione certiorum facere, et confirmationem petere, et postulare, ideo Rmam Paternitatem certioramus, rogamusque, et obsecramus in Domino, ut istam electionem tamquam canonicam confirmare, approbare et ratam habere digneris, ad triennium tantum (quod Dominica in « Cantate » ⁴⁴⁾ anni futuri 1579 finitur) duraturam. Nam et si mihi ad tantum negotium gerendum pares vires non suppetunt, summo tamen Pontifici id ordinanti, et toti Congregationi id petenti, et supplicanti, cur negandum sit ratio non apparet. Optamus quidem, ut membra cum Capite semper permaneant, et sub obedientia Rmae P. Tuae indefesse cupimus militare. In quorum fidem, et testimonium, Nos, praefati Provincialis et Diffinitores, nomina nostra subscripsimus, et sigillum Capituli a tergo apposuimus. Bene vale, P. Rme, et nos ut filios ama. Datum Retuertae die 23 Iunii anni 1576, sedente in nostro Capitulo Provinciali. Ille, qui supra, manu propria, fr. Didacus de Vergara, Abbas Retortae et Provincialis. — fr. Lucas de Avila, diffinitor. — fr. Ferdinandus de Savatierra, diffinitor. — fr. Dyonisius Ganate, diffinitor. — fr. Ignatius Gutierrez, diffinitor ».

⁴¹⁾ Collegium, postea Abbatia, S. Norberti in civitate Salamantina, erectum fuit a. 1568, post decisionem latam a Capitulo Provinciali. Cfr. N. BACKMUND, o.c., III, p. 283-285.

⁴²⁾ Ormaneto. Vide n. 39.

⁴³⁾ Vergara fuerat primus abbas triennalis abbatiae Aguilarensis, electus in Capitulo provinciali a. 1573.

⁴⁴⁾ Dominica « Cantate » est quarta dominica post festum Paschatis. Ita vocatur, eo quod « Introitus » S. Missae huius Dominicae incipit verbo « Cantate ».

Abbas generalis Despruets vero, considerans novam hanc illam Reformationem non concordare cum Statutis Ordinis, petitam confirmationem non dedit; et unice facultatem Vicarii sui generalis transmisit, hunc in modum :

Responsum Rmi Despruetis ad Provincialem

« Rdo Confratri nostro, D. Didaco de Vergara, Abbati de Retuerta, salutem.

Legi tuas litteras hodie, scriptas in Monasterio de Retuerta, vicesima quarta mensis Iunii elapsi, quibus intellexi te a quatuor Abbatibus electum in Provincialem Circariae nostrae Hispanicae. Iam a duobus annis responderam vobis, hoc nomen *Provincialis* et huius officium esse inauditum, et invisum nostro Ordini sacro, et contrarium privilegiis et statutis, a Concilio Tridentino, prout in meis dictis litteris plenius continetur, quarum memores vos esse oportebat. Timeo enim, ne exhauriantur oves Monasteriorum vestrorum ab huiusmodi tribunalibus Abbatibus, et coeremoniae et disciplina Monastica contemnantur, dum sibi quisque magis studet quam Monasterio; interim autem, ne meo officio deesse videar, et ne quid detrimenti Ordo noster patiatur in Circaria Hispaniae, mitto ad te Vicariatum amplissimum, te unice rogans, ut singulos religiosos cuiuscumque dignitatis sint, et religiosos in officio contineas, et disciplinae monasticae obedire compellas. Tallias Ordini et Capitulo Generali debitas ad Nos quam primum fieri poterit mittas, quarum mentionem nullam facis in tuis litteris. Vultis enim gaudere privilegiis, et nomine Ordinis sine illa recognitione census, et nulla habita ratione quotidiani nostri muneris et expensarum in eo administrando faciendarum. Non enim plantamus vineam aut pascimus gregem sine spe fructus colligendi. Vide, quaeso, quanta ambitio subrepet paulatim in Monasteriis nostris, dum quisque volet, etiam indignissimus, Monasterio praefici, ut experimur in Monasteriis Mendicantium. Bene vale. Datum Parisiis in Collegio nostro Praemonstratensi, octava Septembris 1576. — Tuus confrater et amicus. fr. Iohannes Despruetis, Abbas Praemonstratensis ».

Simul cum litteris illis, transmittit Despruets facultatem vi cuius Vicariatus generalis Ordinis in Hispania abbati Vergara committitur.

« Fr. Iohannes Despruetis, S.T.D., Christianissimi Francorum Regis consiliarius, et eleemosynarius, Dei et Sedis Apostolicae gratia, humilis Abbas inclyti Monasterii S. Ioannis Baptistae Praemon-

stratensis, Laudunensis dioecesis, necnon totius eiusdem Ordinis Caput et Reformator generalis, Dilecto nobis in Christo filio et confratri Didaco de Vergara, Abbati B. Mariae de Retuerta, nostri Ordinis, salutem in Domino et paternam benedictionem. Tanta est temporanea iniquitas et itinerum difficultas, ut mihi facile non sit ad vos commanere, visitandi et reformandi gratia : idcirco cogimur partes nostras tibi tamquam filii, et tamquam benemerito de Religione nostra, ac in ea excitato Nobis per Apostolicum Nuntium, Rmum Episcopum Patavinum, et per confratres nostros Abbates Circariae Hispanicae expostulato et commendato, permittere scilicet visitationem et reformationem omnium utriusque sexus Monasteriorum vel Ordinis tam in capite quam in membris, secundum Evangelium Christi, Regulam B. Augustini, et statuta Ordinis nostri sacri, in observatione trium votorum essentialium, habitu, coerectionibus, cantu, et aliis rebus ad Religionem nostram et pietatem ducentibus, et secundum Ritum Praemonstratensis Ecclesiae, omnium Matricis, cum potestate recipiendi Novitios cum ad habitum, tum ad perfectionem, modo de legitimo matrimonio nati fuerint et legitimam aetatem attigerint, et idonei sarcinae Monasticae ferendae fuerint, et indolem boni ac pii ingenii prae se ferent. Cum potestate etiam transmittendi ad alia Monasteria Religiosos malae vitae ac famae, puniendi, prout in statutis praescribitur. Et exigendi tallias, seu contributiones, inde ab initio Ordinis taxatas in singulis Monasteriis, et debitas Capitulo Generali ad eius perpetuam celebrationem et privilegiorum conservationem. Cum potestate etiam cogendi solvere censuris ecclesiasticis, quod in statutis continetur ; et a multis annis ab eis debitas, quas ad Nos, vel Capitulum Generale hoc proximo anno mittere iubemus et mandamus. Mandantes insuper omnibus Abbatibus, Prioribus, ac Priorissis, ac singulis Religiosis, beneficiatis et claustralibus ut iura nobis et tibi debita persolvant, usque ad revocationem nostram, vel quousque per nos vel Capitulum nostrum generale aliter provisum fuerit. Datum Parisiis, ut supra. De mandato Rdi P. D. mei. fr. Franciscus Loiseleur ».

Contentum harum litterarum ab abbate Vergara Nuntio Apostolico communicatum fuit. Exinde Nuntius Apostolicus, mandato speciali ab hoc accepto a Summo Pontifice, Vergara confirmavit in functione ipsi in Capitulo Provinciali commissa.

6. In Capitulo Provinciali anni 1679, novus Provincialis electus fuit : electus fuit Hieronymus Calderon. Abbas generalis Despruets,

ex sua parte, ad hoc Capitulum memoriale misit, in quo mentem suam exposuit de statu rerum in Hispania, et potissimum de mutatis institutis in Hispania pro gubernio Ordinis in illis regionibus. Articuli hac ratione a Despruets missi, referuntur in ms. 993 Nancy, pp. 162-163. In sex articulis a Despruets hac occasione propositis, clare apparet eius mens de institutis Ordinis essentialibus. Ideo articuli ille momentum mere historicum omnino transcendunt. Et sic sonant :

« Articuli decerpti ex institutione Provincialis nostri Ordinis Praemonstratensis in Regnis Hispaniae per Illmum Nuntium Hispanicum, D. Nicolaum, Episcopum Patavinum. Qui quidem articuli contrarii nobis visi sunt Concilio Tridentino, et statutis Ordinis, et Privilegiis nobis a Summis Pontificibus concessis.

Primus articulus est, quo perpetuae Praefecturae, vel dignitates Abbatiales vestrae nova constitutione triennales factae sunt. Huiusmodi triennales Abbates numquam agnovit Ordo noster, neque probavit, nec Regula, nec Statuta, vel ius commune probant. — Nostra privilegia, et statuta volunt, ut ubi primum Abbas a Canonicis fuerit electus, et a Patre Abbate confirmatus, ab Episcopo benedictionis munus accipiat. Sic enim in Statutis nostris, dist. 4, cap. 8 praecipitur. Cuius habeo haec verba : Ille, qui fuerit in Abbatem assumptus, quantocius poterit, benedictionis munus a quocumque Antistite obtinere procuret. Et habetur in Decretalium, dist. 69, cap. : « Quoniam multos », et 12, qu. 2, cap. 32: « Alienationes », et ingredientibus et egredientibus fratribus debet benedictionem dare, ut habetur 16, qu. 2, cap. « Hinc est etiam, superiori autoritate ». Quod si unus post alium eligimini in Abbates eiusdem Monasterii, ut fieri potest, et quisque in hanc triennem anhelabit Pastoralem functionem, cui benedicitis, cum fueritis omnes benedicti ? Et quod minus est, teste Apostolico, a meliori benedici debet.

In Statutis nostri Ordinis, dist. 2., cap. de Abbate praecipitur : « Ut nullus cedat, nisi de licentia Abbatis Generalis vel Domini Praemonstratensis, et propter honestam causam, et talis honeste tractetur. Et eis intus et foris honor debitus exhibeatur. Habeatque ubique post Abbatem primum stallum et primam vocem, necnon a communi frequentatione, et cursu Missarum Hebdomadarum celebrandarum absolvatur. Legite, quaeso, Capitulum illud triennali Abbatia provisi, quam omnino tamquam subversivum Ordinis ministrare prohibet. Erant enim in lege veteri sacerdotes religione

perpetua postquam mitrae illis erant impositae : Exod. 29. Cur ergo in nova Lege non erunt Abbates, et praefecturae perpetui ? Missas facio constitutiones ecclesiasticas, quibus de causis liceat cedere Episcopatu et Monasterio. Omitto etiam periculum (occultum tamen) dilapidationem bonorum Monasterii, quae a malo et parum provido triennali Abbate poterit fieri. Suo tamen officio satisfactum existimabit, more quorundam Mendicantium, modo suis Religiosis victualis fuerit, vel suos Parentes dispendio Monasterii locupletaverit, tempore qui triennii suget lac, et lanis optimetur, suo proximo successor cadentia aedificia reficienda, et alia multa incommoda relinquens. Inde rixae, contentiones, aemulationes in Monasteriis. Perpetuus vero Abbas et sibi et posteris providebit etiam. Idcirco censeo vobis vivendum esse moribus et legibus antiquis, et communibus, ut res nostra, imo Iesu Christi et Ecclesiae, omni tumultu careat. Refert P. Augustinus ex Aeneo Poeta, 2. de Civitate Dei : « Moribus antiquis res stat Romana, virisque ». Stabit et nostra Religio Monastica, si nec latum quidem unguem a statutis, et legibus Ecclesiae universalis et Ordinis non discedamus. Revertimini ad iudicium et mores SSrum Patrum nostrorum.

Articulus secundus. Quem etiam non possum fere probare, quo statutum et sancitum est, ut triennalis Provincialis eligatur. Imprimis hoc nomen « Provincialis » et eius officium est invisum, et inauditum nobis, et omnibus antiquis, et primaevis Patribus Ordinis, et etiam in Circaria Hispaniae novum est nomen, et officium et subversivum Ordinis nostri. Nam dist. 4, cap. 4 Statutorum et Constitut. nostrarum, cap. 13, de annuis Circatoribus praecipitur : Ut quolibet anno in Generali Capitulo, Visitatores et antiqui Diffinitores mutantur, ita tamen quod ipsi visitatores in Circaria visitanda vel alia, prout Abbati Praemonstratensi et Capitulo Generali expedire videbitur, assumantur. Dicite, quaeso, fratres, nonne mittitis falcem in messem alienam, dum nobis vindicatis ius eligendi Provinciale, et Visitatorem, vel triennales Circatores, ut facile apparet ex Statutis ? Ubi mihi opponitis statutum Provinciale nudius tertius natum contrarium statuto, iam olim ab initio nascentis Ordinis a vobis, et ab omnibus laudato et in hunc usque diem tenaciter observato, a SSmis omnibus Pontificibus confirmato, et ratificato. Quid vobis in mentem venit, ut velitis a Patribus Ordinis deflectere et degravare, ut eligatis vobis ducem et pastorem, qualem volueritis, et visum fuerit vobis ? Haec vero nova constitutio praeiudicat venerandae antiquitati et nostrae, et Capituli generalis auctoritati, moli-

rique videbimini aversionem a vestro Capite Praemonstratensi et a compage membrorum, idest Confratrum Abbatum, et omnium Monasteriorum. Idcirco vos interdicimus, autoritate qua fungimur, tales electiones et congregationes, nisi Nos praesentes fuerimus, vel nisi alia et gravis causa et occasio urgeat, nostra interveniente autoritate ; nam nunc nullum video, qua adduci debeatis ad has novas electiones. Quod vero Sacrum Concilium Tridentinum tamquam velamen vestrae constitutionis de electione Provincialis, et de Capitulo annuo in Provincia obicitis, tantum abest ut vobis et vestrae sanctioni consentiat. Quin eam omnino prohibet. Nam Sess. 9 de Regularibus et Monialibus, cap. 8, ita habetur : « Monasteria omnia, quae Generalibus Capitulis aut Episcopis non subsunt, nec suas habent ordinarios regulares visitatores, sed sub immediata Sedis Apostolicae protectione ac directione regi consueverunt, teneantur infra annum a fine praesentis Concilii, et deinde quolibet triennio sese in Congregationes redigere, iuxta formam Constitut. Innocentii in Concilio Generali, quae incipit : In singulis, ibique, certas Regulares personas deputare, quae de modo et ordine de praedictis congregationibus erigendis, etc. ». Unde in canone sacri Concilii abuti vos velitis : Cum habeatis Regularem visitatorem Abbatem Praemonstratensem, et subsitis Capitulo Generali Ordinis nostri Praemonstratensis, cuius nulla umquam facta est intermissio, quamquam saeviente tempestate, cui non adfuitis, a multis annis propter vestram vel socordiam, vel potius contemptum. Vicesimo capite eiusdem sessionis praecipitur : « Ut Abbates qui sunt Capita Ordinum, ac caeteri Ordinum superiores Episcopis non subiecti, quibus est in alia Monasteria, Prioratusve, legitima iurisdictio, eadem illa subdita Monasteria, et Prioratus, suo quisque loco, atque ordine, ex officio visitare, etiam si commendata existant ». Nemo vestrum dubitat Abbatem Praemonstratensem esse caput vestrum ; scitis etiam vos exemptos et liberos ab Episcoporum iurisdictione, idest Capitulo Generali obediendo ? Paratus sum, ubi primum Monasterium hoc (omnium Matrix et fons) dilapidatum, dirutum, alienatum, reduxero (nondum enim diffluit annus in assumpta a SSmo P.P. Gregorio decimo tertio mente ad hoc munus) vestra ad instar huius reformare et reducere.

Articulus tertius. Quo vultis, ut ego gratas habeam has constitutiones contrarias rationi et statutis nostris et canonibus S. Tridentini Concilii ? Concedamque similem potestatem Provinciali quam habeam in toto orbe ? Sunt enim verba Bullae et constitu-

tionumstrarum. Vultis, dicamus, Patres ? Ut minus sapiens dicam, supportate insipientiam meam. Nescitis quid petatis, honorem sane meum, neque Abbatis Praemonstratensis alteri sum daturus, nec tantam collaturus potestatem, quin maiorem retineam ; vestrarum Paternitatum est obedire recte deprecanti et monenti, non autem vestrum nobis leges dare !

Articulus quartus. Vis in electione Provincialis secutos fuisse formam Concilii Tridentini. Haec est forma Concilii Tridentini, in eadem sessione sexta, cap. 6 tradita : quae sanctissima est, modo quae ea legitime utatur ; vos autem non estis ea legitime usi. Nam Concilium formam eligendi Superiorem dat in Provinciis, quae non habent Superiorem Regularem ; vos vero habetis per Dei et S. Sedis a Gregorio 13 misericordiam ? Cur ergo abutimini sacro Concilio, tamquam fuco, vestra nova electione ?

Articulus quintus. Sedem Provincialis electi eligitur Monasterium B. Mariae de Retuerta, Palentinae dioecesis. Iam a condito Ordine nostro sacro Abbas de Retuerta fuit Pater Abbas nostrorum monasteriorum in Hispaniae Circaria ; quem et nos iam in ipso mense Iunii, ubi primam adepti sumus mentionem Monasterii sui, Vicarium nostrum Generalem constituimus, nolentes quidquam innovare, neque inturbare, veterem pietatis sequentes ex SSmis primaeavorum nostrorum PP. vestigiis.

Articulus sextus. Quotannis celebrandum esse Capitulum Provinciale non sancivi, sed statuistis, ad quod Abbates Conventuales et unus Procurator a Conventu eligendus interesse debet. Haec constitutio contraria est omnino constitutionibus nostris, maxime Constitutioni de annuo Capitulo Generali Praemonstrati celebrando, cui omnes Abbates adesse debeant, saltem duos ex qualibet Circaria, expensis communibus Circariae, vel plures, si Dominus Praemonstratensis plures vocandos duxerit. Et habetur haec constitutio in Statutis nostris a vobis et a nobis iuratis, dist. 4, cap. 1. Quam arbitror vos non ignorare, et in infinitis litteris SSrum Patrum, et diuturno usu confirmata est. Nihilominus vultis et ego vestram particularem constitutionem contrariam generali constitutioni confirmare et ratam habere. Nostis omnes, teste Apostolo ad Corinthios, 13 datam esse potestatem in aedificationem, et non in destructionem. Et cum Gregorio, lib. 12 Foelici Episcopo loquar : Si ea destruxerim, quae antecessores nostri statuerunt, non constructor, sed eversor iuste comprobaber. Testante veritate, quae est : Omne regnum in se divisum non stabit ; et omnis scientia et lex adver-

sum se divisa destruetur. Quod si ex adverso non legibus provincialibus vestris, et constitutionibus noviter latis uti volueritis, quomodo putatis declarare nostram et vestram staturam et stabilitatem aliquam habituram, maxime hoc tempore tumultuum, et periculoso, quo dextras societatis dare debemus, si pie, si iuste in Christo et eius Ecclesia Romana vivere velimus. Scio vos fultos esse auctoritate SSmi Domini N. Gregorii 13 et nobis et Ordini mirum in modum meritissimi, cui divinitus datae sunt claves ligandi et solvendi, supra petram. Sed videte fratres, ne favore et summo zelo SSmi Gregorii 13 erga nos et vos abutamini, in nostram et vestram pernitiem. Compertam eius Sanctitatis habeo voluntatem vere sanctam, scilicet ut nihil innovetur, aut immutetur, sed quisque nostram vitam degat iuxta Regulam S. Augustini, et statuta Ordinis Praemonstratensis, et iuxta praescriptum Concilii Tridentini Monasteria reformentur. Sed non vult aversionem membrorum a Capite, sed ut magis capiti et praepositis obediant. Neque constituere quidquam contrarium decretis SSorum Pontificum maiorum suorum; sed omnia quantum fragilitas haec humana, et temporata misera conditio patitur servari. Nimis asperum et bonis et bene institutis moribus religiosorum inimicum, quae bene ordinata sunt rescindere. Et cogitate vestra privata constituta quandoque posse dissolvi. Patrum vere nostrorum generales Constitutiones spiritu Dei conditae ac constituentes divinae legis totius mundi relabantia sine refragatione cuiusquam ad haec tempora turbulenta conservatae et omnium summorum Pontificum iudicio et auctoritate corroboratae, intemeratae remansurae, a quibus non existimo vel diuturniores quacumque blandiente novitate.

Ego vero, prout mei officii ratio postulat, omnem dabo operam, ne leges nostrae hominum cupiditate vel levitate convellentur, vel aliqua novitate mutantur. Dispensatio enim, et non dissipatio familiae Praemonstratensis, mihi tradita est. Si mutantur statuta sanctissima, prout vos mutare vel subvertere zelo quodam indiscreto conamini, non dubium est quin Ordo mutetur, gravissimi criminis reus futurus, si Regularum paternarum sanctio nobis constituentibus vel negligentibus, nihil Deo et hominibus gratius quam unio membrorum Ecclesiasticorum cum capite, cum eodem idem dicentium, idem sapientium, odientium schismata, et omnem speciem, quamvis a fronte speciosam, dissociationis a Capite, et compagine fratrum. Spero me Romam profecturum, exosculandi pedes suae Sanctitatis gratia, et curandi, ut eius auctoritatem perpetuis temporibus (sicut hactenus factus est) adoremus. Quod faciam com-

positis in Gallia et in Regno tumultibus Hugoniticis, destructionem et ruinam Ecclesiae Romanae suis novitatibus molientibus, quorum conatus adaugent non mediocriter, quae dissensiones in Ecclesia et in Monasteriis statutis disseminant, a quibus vos abhorre opto. Interim vos oro, et per nomen Domini Iesu Christi obsecro ac per tria Religionis nostrae Praemonstratensis sacra vota adiuro, ut constantes sitis in fide christiana et romana, et nostra Praemonstratensis disciplina monastica, pro quibus cum capitis periculo quotidie decertamus, neque deficimus. Quinimo dum infirmari videmur, tunc per Dei gratiam fortiores sumus. Videte, ne quis vos ab obedientia nobis debita seducat. Quod si quoquomodo discedatis, et vobis caput, et Provincialem eligatis, et dum pededentim a nobis et Ordine, et statutis deficitis, a capite universalis Ecclesiae, Summo Pontifice Romano, quis non videat vos tantumdem defecturos? Faxit Deus, ut falsus sim vates. Vestro etiam exemplo malo Monasteria nostri Ordinis aliarum Provinciarum, eodem fuco considerato, a nobis digressura sunt. Caput ubique sibi, vel Provincialem constituentia et eligentia, ut sacer noster Ordo Praemonstratensis num paulatim Dei et Gregorii 13. D. mei beneficio biceps et monstruosus appareat, et confusione plenus sit cum Capitibus, Provincialibus, capitulis, statuentibus contraria generalibus Capitulis. Cogit me rei gravitas et periculum proximum ita loqui. Sed date veniam iustae meae querelae. Estote unanimes et unius mentis et fidei Romanae nobiscum. Et Deus pacis et dilectionis adaugeat incrementa pietatis vestrae Monasticae Praemonstratensis ».

7. Hucusque Abbas Generalis Praemonstratensis Ordinis. Praeter illam expositionem satis longam, Despruets transmisit mandatum Hispanis Praemonstratensibus, similiter relatum in ms. 933 Nancy, p. 164. Quod mandatum ita sonat :

« Iohannes Despruets, S.T.D., Christianissimi Francorum Regis consiliarius, etc. Dilectis nobis in Christo omnibus et singulis filiis et confratribus Abbatibus et Abbatissis, Praepositis, Prioribus ac Priorissis et Religiosis utriusque sexus praefati nostri Ordinis in Circaria Hispaniarum degentibus. Ad quos, vel ad quorum vel quarcumque notitiam hae praesentes litterae pervenerint, salutem et paternam benedictionem. Grave admodum et molestum nobis fuit in ipso pene primordio nostrae ad Monasterium Praemonstratense, omnium nostrorum matricem, promotionis audire quaedam rescripta statutis nostris et primoribus privilegiis, nostro Ordini a

SSmis Summis Pontificibus concessis, ac ipsi etiam Concilio Tridentino contraria, nuper a Sancta Sede Apostolica fuisse impetrata. Multo vero acerbius tulimus, cum certiores facti sumus, vos in vestram et Ordinis nostris pernitiem, ac dedecus, atque universalis Ecclesiae scandalum rescriptis ipsis abusos fuisse. Inter caetera enim accepimus vos Capitula quaedam particularia seu provincialia celebrasse. Primum quidem in Monasterio B. Mariae de los Huertos, eiusdem Ordinis nostri, Segoviensis dioecesis, die S. Michaeli sacro anno Domini 1573 ⁴⁵⁾ in quo quidem statutum esse relatum est, ut Abbates, qui erant, semperque ad id temporis fuerant perpetui, in posterum triennales erunt, quorum unus esset Provincialis, idemque etiam post sex menses ab eius electione, ut decrevistis, per nos confirmandus. Praeterea ut singulis trienniis Abbatum electio per Provinciale praedictum et quatuor Diffinitorum tantum fieret. Alterumque celebrasse Capitulum in Monasterio B. Mariae de Retuerta, dicti nostri Ordinis, Palentinae dioecesis, in festo SSmae Trinitatis, anno Domini 1574, in quo quidem Monasterii sedes praedicti Provincialis de facto fuit constituta. Quas quidem Capitulum Provincialium celebrationes ac triennalis etiam Provincialis, necnon triennialium Abbatum electiones in nostri Ordinis sacri et privilegiorum nobis a Summis Pontificibus concessorum, ac ipsius Concilii Tridentini dissolutionem redundare luce clarius apparet. Nam omnia privilegia et Statuta Ordinis nostri volunt, ac iubent, ut nequis Ordinem nostrum professum indultum aliquod impetrare praesumat, vel impetratum retinere audeat contra communia Ordinis ipsius statuta. Volunt etiam ac iubent ut quoties aliqua Ecclesia pastore fuerit viduata, per Religiosos Monasterii eius, praesente Patre Abbate, canonice Abbas eligatur, atque confirmetur, ab Episcopo postea benedicendus. Praeterea ut singulis annis duo ad minus ex singulis Circariis Capitulo Generali Praemonstrati celebrando adsint; ut corrigantur, et reformatur, quae visa fuerint corrigenda atque reformanda, utque visitatores Circariarum ibidem eligantur, et constituentur. Ad quae accedit, quod et Concilium Tridentinum nuper iussit et sancivit, ut Monasteria, quae Sancti Sedi immediate vel Episcopis non subsunt, sed regularem habent Reformatorem, per eundem visitentur, et illi ac Capitulis Generalibus sui Ordinis subiecta remaneant, et ut eligentium vota non publicentur. Nos itaque habito Romae prudentissimorum

⁴⁵⁾ Fuerat primum capitulum provinciale Praemonstratensium in Hispania.

ac peritissimorum consilio, intuentesque praeterea ex vestra Provincialium, Diffinitorum et Abbatum triennialium institutione regularia statuta et privilegia enervari, Ordinemque nostrum sacrum dissolvi, nihil vero magis optantes quam compagem membrorum et unionem cum capite retinere, ut unius moris simus, in domo Dei, cumque non concedatur nobis hoc anno venire ad vos, et vobis, ut cupimus, in propria persona adesse; idque propter urgentissima Ordinis nostri negotia, quae nos in Belgio ⁴⁶⁾, utriusque Germania partes vocant; nequid interim amplius de vestris Ordine, religioneque et disciplina monastica depereat, prospicientes et providentes, districte praecipimus, et in virtute salutaris obedientiae, et sub poenis in privilegiis et statutis nostri Ordinis contentis, vobis omnibus et singulis praecipiendo mandamus, quatenus iisdem libris, cantu, et coeremoniis in obsequio divino persolvendo omnibus in Monasteriis dicti Ordinis utriusque sexus, necnon aliis locis religiosis, Academiaeque Collegii sine dilatione, seu cunctatione utamini, prout ante praefatorum Capitulorum celebrationes consuetudo fuerat, quibus etiam B. P. N. Augustini Regulam ac statuta Ordinis, et privilegia generalia antiqua nobis, et Ordini nostro ab auctoritate Apostolica concessa, roborata, et confirmata sequamini. Mandamus etiam ut singuli Abbates ad Monasteria, quibus antequam triennialitatem praedictam, numquam in isto Ordine nostro auditam, introduxistis perfecti erant, revertantur in iisdem religiose victuri, et fratres, uti pastores decet, recturi et moderaturi. In demortuorum autem Abbatum perpetuorum, locum Religiosi Monasteriorum, quibus defuncti praeerant, alios capitulariter (suum scilicet Capitulum) praesente P. Abbate eligant, vel praesentem triennalem in Abbatem perpetuum recipiant, et approbent per Sanctam Sedem, vel per Patrem Abbatem, vel per Nos, vel per Vicarium nostrum, prout moris est, confirmandum, et per Episcopum catholicum, quem elegerint iuxta privilegia nobis concessa, benedicendum. Praecipientes sub praefatis poenis Provinciali, Diffinitoribus, atque Abbatibus triennialibus praesumptis, ne sibi de caetero tale officium, ministerium, vel nomen arrogant. Neque aliquid nostris statutis, ordinationibus, atque privilegiis contrarium facere vel statuere audeant. Prohibentes etiam omnibus et singulis utriusque sexus Religiosis cuiuscumque status et conditionis, ne eiusmodi Provinciali et Abbatibus, Prioribus obediant, aut eorum

⁴⁶⁾ Cfr. n. 33. — Rediens a Roma, Despruets visitavit plura monasteria in Germania ad fovendam unitatem Ordinis.

constitutionibus utantur, quas penitus irritamus, et per praesentes irritas declaramus, eaque nullius roboris aut obligationis esse volumus, sed nobis et Vicariis nostris, Abbatibus, atque Abbatissis, Praepositis, Prioribus, et Priorissis perpetuis, canonice electis, atque confirmatis, obediant. Abbati etiam B. Mariae de Retuerta ⁴⁷⁾ quem Vicarium nostrum in Circaria praedicta Hispaniarum iam pridem constitutum, cuique mandatum speciale visitandi et reformandi Monasteria et Praefecturas, atque alia per praesentes Vicarium nostrum ad haec, et caetera omnia agenda, quae ipsi ageremus, ac facere possemus, si praesentes ac personaliter essemus; ac maxime ad executioni mandanda omnia quae in praesentibus nostris litteris continentur. Necnon ad repetenda Sanctimonialium nostri Ordinis consensu distracta, constituimus tamquam nobis ipsis pareant et obediant. Postremo vos sub praemissis poenis praecipimus et mandamus, ut duo vel unus saltem ex vobis ad Capitulum Generale, Praemonstrati, anno proxime futuro celebrandum venire, illique interesse curent, quo in loco humaniore, et benigne iuxta morem antiquum recipiantur. Et de communibus Religionis atque Ordinis nostri rebus, causis, et personis, earumque reformatione tractantes benigne audiantur. Datum Romae 30 Maij, anno Domini 1578. — fr. Iohannes Despruets, Abbas Praemonstratensis. — De mandato Domini mei Abb. Praem. : Martinus Budien ».

8. Currente anno 1578, Despruets Romam adire potuit. A Summo Pontifice Gregorio XIII confirmationem privilegiorum Ordinis obtinuit; simul ac gubernium pastorale latissimum in omnes domos Ordinis. Concessiones hae pontificiae habentur apud J. LEPAIGE, *Bibliotheca Praemonstratensis Ordinis*, Parisiis, 1633, pp. 732-735. In « Motu proprio » hac occasione, die 7 maii 1578, edito a S. P. Gregorio XIII, laudes eximiae in laudem personae Despruets leguntur: « Monasterio Praemonstratensi, quod pridem saecularibus personis, gravi ipsius, ut eventus probavit, Ordinis incommodo commendati consueverat, certo modo vacanti, iam tunc illi, te bene de ipso Ordine promeritum, ob eximiam tuam doctrinam et probitatem, ac regularium Institutorum peritiam, in Patrem Abbatem praefecimus, illud sperantes, quod revera demum compertum loetamur, nulla in re, quoad huius Ordinis (cuius caput es) dignitatem pertineret, te in eo munere ex communi utilitate gerendo defuturum.

⁴⁷⁾ Cfr. supra, p. 241.

Nunc autem cum tu pro ea obeunda, quae potissima eiusdem muneris tui pars existit, ad regularem antiquam disciplinam, ex priorum temporum calamitate inclinatam et afflictam fulciendam, et ubique restituendam intentus... ».

Romae commorans, Despruets litteras scribit Iohanni Martinez, Procuratori Praemonstratensium Hispanorum. Quae litterae referuntur in ms. 993 Nancy, p. 164. Et sunt huiusmodi :

« Charissime frater, ubi primum Romae appuli, offensus sum fratrum tuum, Canonicum B. Mariae Trans Tiberim, qui me plurimum exhilaravit, dum te videre asseruit, cui causam adventus mei in Urbem explicavi, et rogavi, ut te, et confratres meos Abbates de meo adventu certiores faceret. Tandem magna cum difficultate privilegiorum nostrorum confirmationem a S. Sede impetravi. Et consultis insignioribus viris vestras irritas constitutiones Capitulorum Provincialium de triennali Capitulo Provinciali, ac de triennialibus Abbatibus, et Provincialibus, ac Diffinitoribus triennialibus declaravimus, prout copiosius in litteris nostris continetur. Odit enim Ecclesia schismata et scissuras subvertentes statum monasticum, et ecclesiasticum, quae tandem Regnorum ruinam et seditiosam mutationem moliuntur. Ideo nos freti de tua fide, et obedientia, mittimus omnia scripta ut ea Abbati de la Retuerta et caeteris Abbatibus, ac Religiosis significes. Ne ultra abutantur rescriptis, sed ea vocatione, qua vocati estis, secundum Christi Evangelium, et Regulam S. P. N. Augustini, et statuta Ordinis, et Conc. Tridentini praescripta ambulate. Non video in quo Regia Maiestas offendi possit, cum a quadringentis annis Ordo sit in illis partibus constitutus, et nobis nihil magis curae sit, quam ut quique fratrum post Deum et Ordinem, Principibus obediant, et tranquillam vitam agamus, et ipsi pacifice regnent. Et quia exempti sumus ex privilegiis antiquis antiquis a iurisdictione Episcoporum, oportebit eligere aliquem Abbatem alterius Ordinis in aliqua civitate in conservatorem privilegiorum antiquorum confirmatorum. Confirmatio remanet apud Dominum Hatton, procuratorem nostrum. Alia vero privilegia sunt impressa Romae inter Epistolas Innocentii P.P. III, quae quidem epistolae extant ubique ; ideo potestis vobis comparare. Hinc in Germaniam et Belgium proficiscar, ubi Monasteria nostri Ordinis mea opera magnopere indigent, nec demum revertar ante hiemem. Quamobrem si quid mihi rescribendum sit vel per mercatores Salamantinos, qui Lutetiam veniunt, vel Romam ad fratrem tuum, et D. Hanon rescriberis. Impressa sunt Missalia et processionalia Lute-

tiae, et Breviaria et Horae B. Mariae. Hinc poteritis facile comparare, et eo uti sub poenis in litteris scriptis, ut simus unius mentis in domo Dei. Quod si cuiquam vestrum meum mandatum durum videatur, videte Carthusianos, Cistercienses, et alios Ordines, quam constantes sint, nec optem nos infirmiores esse, sed fortiores, et ardentiores, et paulatim sine strepitu, et disceptatione Ordinem amplecti, ac sine murmure, sed humili corde et prudenter; vel etiam si quid pro tua causa possim, faciamus sane, quod mei officii erit et tua merita exigunt. Datum Romae, ut supra ».

Addit praeterea: « Elegi Protectorem privilegiorum nostrorum Illmum Cardinalem S. Sixti, Papae nepotem, et quia graves expensas feci, aequum est ut Ordo subsidium ferat; et optarem, ut collecta facta per singula Monasteria Hispaniae ad me mitteretur; in honestum munus illi offeratur nomine nostro et Ordinis universi. Illmus Cardinalis de Pelleven, alias Senonensis, iuvabit vehementer partes nostras. Quod si quam molestiam contra nostrum Ordinem mandatum vobis fuisset, appellabitis ad S. Sedem, et ad Congregationem Episcoporum Romae; quia Congregatio Illrum Cardinalium iudicat de causis huiusmodi emergentibus, ex Concilio Tridentino. Quod si adesse non possitis Capitulo Generali propter tumultus saltem legitimas excusationes mittere velitis ».

9. Uti supra monuimus (p. 231), abbas Calderon, qui et munere Provincialis plus quam semel in Hispania insignitus fuit, plures litteras Abbati Generali, Despruets misit; quae deperditae videntur. Responsum vero quoddam Despruets diei 20 Augusti 1579 referatur in ms. 993 Nancy, p. 165. Quod ita sese habet

« Rdo in Christo filio et Confratri Hieronymo Calderon, Abbati Monasterii de la Retuerta,

Rde Confrater,

Quinta mensis huius Augusti tres recepi litteras, specie quidem officiosas et obedientiae perpetuae plenas. Sed si quis introspexerit, et exacte examinaverit, comperiet revera omnino dissensionis et defectionis a nobis locupletes esse. Qui enim dicit se nos diligere, et mandata nostra non servat, quis adeo perstrictae frontis est, qui audeat affirmare coram Deo, et hominibus hunc obsequentem filium? Cum aliud verbis, aliud operibus adimpleat. Sic ut propriis scriptis testamini, et omnibus fidem facitis. Nam in contemptum nostrorum mandatorum, Capitulum provinciale ementita Summi Pontificis et Nuncii autoritate celebrastis, et triennes Abbates ele-

gists, regularibus mutatis, et compurcastis cultum divinum, ritu vero antiquo tradito et approbato non solum a S. Sede, sed etiam a vobis celebrari solitum. Non enim possumus ex vestris litteris colligere, vos nostris, vel potius vestris libris uti vel in cultu divino celebrando. Et tamen dici et haberi Praemonstratenses vultis, privilegiis Ordinis, quae praecipiant non solum habitu candido omnino, sed etiam iisdem libris ubique utamur. Ego habita ratione temporum, et vestrae pervicaciae, ne omnino pereatis, et a nobis deficiatis, mitto ad tuam Confraternitatem amplissimum Vicariatum ad fovendum quoquomodo Ordinem, ea lege, et conditione, ut nostris libris utamini et debitas tallias Ordini conservando persolvatis. Datum Praemonstrati 20 Augusti 1579 ».

In eadem epistola et alia adduntur sequentia :

« Multi ex nostris in Flandria defecisse videntur a Rege Catholicissimo ⁴⁸⁾. Sed hoc unum assero, multos ex illos invitos hoc fecisse, meisque monitis a perduellionibus palam vel occulte discessisse. Diripiuntur Monasteria nobilissima, trucidantur Abbates, enecantur Religiosi innocentes, quorum vos meminisse oportet in precibus et orationibus ; et apud Regiam Maiestatem vel Regios consiliarios, excusatos habere, quantum fieri poterit. Et hac in re vestro officio fungemini, nobisque et Ordini rem gratam facitis. Saluta, et admone omnes vestros Abbates et Religiosos nostro nomine. Et da operam cum caeteris fratribus ut Monasteria Sanctimonialium sororum nostrarum, Nobis, et Tibi, Vicario nostro obediant, ac reformatur iuxta statuta Ordinis et Concilium Tridentinum. Et velo nigro utantur propter minores sumptus : Sic enim in Capitulo Generali sancitum est a septuaginta annis. Ne Sorores nimis curiosae sint in lavandis et mundandis velis suis. Non reperi confirmationem privilegiorum, quam a me petis, utamini nostra ad vos ex urbe ad vos per me missa. — Tuus, non solum frater, vel confrater, sed amicus usque ad aras. — fr. Iohannes Despruetis, Abbas Praemonstratensis ». — Simul transmisit Despruets Vicariatum generalem, iuxta Statuta generalia Ordinis.

⁴⁸⁾ Saeculo decime sexto ad finem vergente, orta est insurrectio contra Regem Hispaniae, cui tunc et Neerlandia subiecta erat. Abbates Ordinis Flandriae, censentes agi de independentia politica obtinenda, insurrectioni illi generatim favebant. Cum autem postea intelligerent duces insurrectionis generatim infensos esse religioni catholicae, paulatim partes insurgentium dereliquerunt. Cfr. P.-E. VALVEKENS, *De Zuid-Nederlandsche Norbertijner Abdijen en de opstand tegen Spanje*, Lovanii, 1929.

Misit insuper abbas generalis epistolam ad R. P. Martinez, huius tenoris :

« Ven. et charissimo fratri Iohanni Martinez,

Mi charissime frater. Recepi tuas litteras quinta huius mensis Augusti scriptas in Monasterio de Retuera, ex quibus intellexi, vos consilio quoquomodo prudentum Capitulum Provinciale celebrasse, spretis, neglectisque et conculcatis nostris mandatis et inhibitionibus. Item inter caetera mandaveram ut eisdem litteris in cultu divino celebrando, quibus usa est Ecclesia nostra et Ordo Praemonstratensis a quadringentis quinquaginta annis uteremini. Ut vitae vocis oraculo mihi Summus Pontifex iniunxerat et in rescripto ad Nos hoc verbum apponi iussit : ut sit uniusmodi cantus et cultus apud omnes Praemonstratenses, alioqui in quo agnoscam vos filios, nisi in cantu, precibus et habitu ? Ex textu enim cognoscitur avis. Nec respondetis ad aliud caput mearum litterarum, scilicet ad suppetias ferendas, ad fulciendum Ordinem, et privilegia et conservatorem Romae. Nihil dico de immensis expensis pro me factis in itinere Romano, quae vos latere non debent. Et tamen vultis uti, vel potius abuti nostra opera, et ut ego solus pauperrimus curam Ordinis sustineam, et vineam excolam, et vos fructus colligatis. Da igitur operam ut honorarium munus ad fratrem tuum Canonicum ⁴⁹⁾ vel ad Dominum Hatton ⁵⁰⁾ perferatur, et illud Illmo Cardinali S. Sixti conservatori nostro nomine meo et Ordinis universi afferatur, sicut iam promisi confratribus nostris Capitulum Generale nuper ⁵¹⁾ celebrantibus, confidens de vestra fide, liberalitate, et officio erga Ordinem debito. Quod ad confirmationem privilegiorum attinet, habetis librum Epistolarum Innocentii III, in quo descripta sunt omnia privilegia aut meliora aut copiosiora, et ampliora, quibus uti debetis, ut vos ipsos iudicetis, et non ad aulas et iudicia. Episcoporum et iudicum saecularium trahamini. Memor esto tui erga nos officii ; ego te valde diligo et si quid tui vel tuorum causa possum lubentius praestabo, quam putes. Datum Praemonstrati, ut supra. — Tuus confrater et amicus : fr. Iohannes Despruetis, Abbas Praemonstratensis ».

⁴⁹⁾ Cfr. supra, p. 262.

⁵⁰⁾ Cfr. supra, p. 241.

⁵¹⁾ Anno 1579, celebratum fuit Capitulum Generale, praeside ipso Despruets. Acta huius Capituli, celebrati Lauduni, edita fuerunt in *Anal. Praem.*, XVI, 1940, pag. spec., pp. 28-34.

10. Refertur in eodem ms. 993 Nancy, p. 165, epistola missa a Priore Collegii Ordinis Parisiensis, Martino Bourlier ⁵²⁾ P. Iohanni Martinez, scripta mense Septembris anni 1579. Cumque Bourlier, iussu abbatis generalis Despruets, plurimum adlaborasset pro edendis libris liturgicis Ordinis, epistola eius potissimum sistit in aspectu liturgico dissensionum Abbatem generalem inter et Abbates Hispanos :

« Fr. charissime et admodum Reverende,

Quas ad Rdm D. Praemonstratensem misisti litteris, superiori mense accepi, easque ad Rmam Paternitatem suam, quam citissime fieri potuit, per nuncium transmissi, quibus non multo post, prout sui officii erat, respondit, et prout debuit (ut mihi quidem persuadeo) satisfecit. Saepe ipse de vestra ad respondendum iis, quas ad vos, dum Romae esset, scripserat, conquestus est tarditate, nec immerito, nam certe sibi persuadebat vos has recepisse. Quandoquidem officium easdem ad vos transmittendi frater tuus charissimus, Dominus Martinez, Ecclesiae S. Mariae trans Tiberim dignissimus canonicus, ac de nostro Ordine optime meritis, lubenter suscepit. Quantum autem ponderis ac momenti Rmae Paternitatis suae scripta apud vos habuerint, ignoro, quoniam nec vestras legi litteras, nec Rmum ab eo tempore, quo eas recepit, sum adloquutus. Faxit Deus O.M. ut vos et quotquot sumus Praemonstratensis Ordinis professores certam nostram vocationem et electionem faciamus ; quod certo praestare minime possemus, nisi Patri nostro Rmo tamdiu a nobis desiderato in omnibus, quae nos decent, morem geramus ; eiusque statuta ac Capituli Generalis determinationes ambabus amplectamur manibus. Scio equidem Rdam suam Paternitatem aegerrime semper tulisse, quod novum genus vitae geras, Ordini nostro contrarium, priore reiecto, non solum statuistis ; verum et mordicus observatis : Maxime vero quod Breviaria, Misalia, aliosque libros ad cultum divinum diurnum nocturnumque ritu nostro persolvendum, ab Ordinis primordio in omnibus Monasteriis institutos reiecistis. Quod certe, cum P. Rmo SSmo D.

⁵²⁾ Martinus Bourlier, canonicus landuriarum (Jandeures), cum licentia Capituli Generalis anni 1572, universitatem Parisiensem adiit ut gradum doctoratus acquireret. Ipsi ab abbate Despruets iniungitur ut novam editionem paret Breviarii Ordinis. Bourlier huic Breviario praefationem praemisit : cfr. *Anal. Praem.*, XXX, 1954, pp. 250-253. In Capitulo Generali anni 1574, ipsi committitur praesidium Collegii Ordinis Parisiensis, et insimul ipsi « in Syndicum Ordinis instituit et negotiorum curam et sollicitudinem imponit ».

Nostro, dum Romae essemus, declarasset : non potuit se Sua Sanctitas continere, quin ira quodammodo commota diceret : Se nolle haec permittere, nec umquam illud a vobis fieri intellexisse. Si eiusmodi librorum vos premeret necessitas, excusatione quadam digni videremini. Sed per Dei gratiam, et Rmae suae Paternitatis diligentiam Parisiis his abundamus, possentque ad vos facili negotio transmitti. Crede mihi, frater in Christo charissime, veritatem veluti flens dico, non mentior, male ab omnibus auditis. Quare si vestro officio minime, bono saltem communi consulere debetis. Quod facietis, si vos, qui membra estis, capiti, a quo dependetis, omnibus aliis sicut in habitu, conformari volueritis. Si quid erit quod Rmae suae Paternitati per litteras significare sit in animo, ad me mittatis, et curabo ut eidem brevi reddantur, atque responsa illius ad vos curabo transferri. Et si aliquid sit in quo mea opera egetis, si placet, significabit, et me fratrem ad omnia paratissimum semper habebitis. Interim D.O.M. supplex deprecor, ut vos sanos et incolumes ad sui nominis gloriam et Ordinis nostri sacri decus servare dignetur. Ex nostro Praemonstratensi Collegio, 4 nonas Septembris 1579. Tuus in Christo fr. obsequentissimus. Fr. Martinus Boulier (sic !), Doct. Theologus, ac Prior Collegii Ord. Praemonstratensis Parisiis ».

Litteris supra relatis Abbatis generalis acceptis, novus Provincialis Hispanorum, consilium iniit cum abbatibus Hispanis. Eo quod partialiter saltem obsecundare voluit voluntati abbatis generalis. Tandem Rmum Nuntium Apostolicum in Hispania adiit ; a quo in munus Provincialis confirmatus fuit. Interim provincialis Calderon nihil omittebat ad hoc ut pax et concordia vigeret inter Hispanos Praemonstratenses et Abbatem Generalem ac Capitulum Generale Ordinis. Ad quasnam conclusiones tandem convenerunt, expositum est in *Anal. Praem.*, VIII, 1932 : E. VALVEKENS, *Les Prémontrés et le Concile de Trente*, pp. 19-24.

In Capitulo Provinciali Hispanorum anni 1582, Antonius de Tapia electus fuit in Provincialem. Pro confirmatione huius muneris, Tapia litteras misit Abbati Generali Despruets. Ex responso huius, patet Despruets nullo modo mentem suam mutasse de natura muneris illius Provincialis in Ordine. Electio facta in Hispania non est vera electio, sensu stricte iuridico, sed postulatio quae ab auctoritate superiori probari debet. Et « electus » agnoscitur uti Vicarius, sed non uti Provincialis. Litterae illae referuntur in ms. 993 Nancy, p. 166, et sunt huiusmodi :

« Iohannes Despruetis, S.T.D., etc., dilecto meo in Christo filio,

et confratri Rdo Antonio de Tapia, et professo Presbytero Ordinis nostri, salutem et paternitatis affectum. Significasti nobis per litteras, syngraphis Didaci Vergara, de Segovia, Ferdinandi, et de Proano, te postulatum fuisse ab Abbatibus et Religiosis Circariae nostrae Hispaniae in Vicarium nostrum, modo nostra approbatio interveniat. Nos itaque de tua fide et religionis zelo confidentes, te in Vicarium nostrum et Visitatorem Circariae Hispaniae ad triennium eligimus et confirmamus. Mandantes omnibus Abbatibus, et Abbatissis, Prioribus, et Priorissis claustralibus, et Patribus Ordinis nostri Religiosis, ut tibi in omnibus obediant, honorent, et recipiant, cum potestate recipiendi in omnibus Religiosos, Novitios, et recipiendi professionem Monasticam, et mittendi ad sacros ordines, et ad scholas de consensu Abbatum et Conventuum et Monasteriorum, et alia omnia agendi, quae Nos ageremus, si praesentes essemus. Datum Praemonstrati, septima Octobris, sub sigillo et syngrapha nostris, et nostri Secretarii, anno Domini 1582. — Fr. Ioh. Despruets, Abbas Praem. — De mandato Domini mei Praemonstratensis : Favette ».

Vera pax et concordia tamen obtineri non potuit. Econtra, Despruets, anno 1585, electionem Provincialis factam irritam declaravit. Ita ut deinceps tum Praemonstratenses Hispani, tum alii vitam suam religiosam separatim duxerint.

11. Abbas generalis Despruets obiit die 15 maii 1596 ; ipsi paulo post successit Franciscus a Longo Prato (de Longpré).

Anno 1597, ab Hispanis octavus eligitur Provincialis in eorum Capitulo provinciali. Eligitur Iohannes de Terreros. Qui mox, more suorum praedecessorum abbatem generalem certiore facit de sua electione, ab eo similiter confirmationem electionis rogans. Abbas generalis, in itinere detentus, non statim respondit. Tandem die 23 Maii 1598 haec rescripsit (ms. 993 Nancy, p. 169) :

« Dilectissime Confrater,

Quicumque opus ministerii sortiti sunt, trium maxime debitores habentur, videlicet solitudinis, custodiae et disciplinae : in id primum incumbere debet animarum Rector, ut quae ad vitam tum temporalem tum aeternam, necessaria sunt subditis non desit. Hinc est, quod vix umquam aut raro, sibi vacare secure debeat ; dum timet quis penuriam facere subditis. Deinde diligenter debet agere exubias super gregem, ut dum excubat in custodia sanctuarii possit cum summo omnium Pastore Christo in haec verba secure prorum-

pere : Pater quos dedisti mihi, non perdidisti ex iis quemquam. Deum disciplinae debet esse amantissimus, ut sic subditos in officio contineat. Haec tria mihi semper ob oculos ponenda existimavi, desideraremque magnopere nunc illa exequi. Sed impedit negotiorum nostrorum nimis tarda expeditio. Nedum enim a Summo Pontifice confirmationis beneficium obtinuerimus, a quo tamquam a Capite in barbam Aaron descendit omnis potestatis unguentum. Hinc est quod nedum iustis Capituli vestri Provincialis precibus annuere possumus, sed quod habemus, impertimur. Electi sumus, ea qua fungimur auctoritate, stabilimus et confirmamus. Pollicemur tibi et Nos, quam primum id contigerit, Vicariatum in Hispaniae partibus. Congratulamur interim prudentiae ac diligentiae Praelatorum Hispaniae, qui Ordinis conservandi zelo succensi, te capacem et idoneum ad Monasteriorum suorum regimen existimarunt. Simulque hortamur, ut tecum de Religionis Norbertinae progressu et de pristino cultu restituendo conferant. Tibique ad bonos in bono confirmandos, et malos a malo deterrendos, manus adiutrices praebeant, ac in omnibus quae Monasticae obedientiae subiecta sunt obtemperent. Datum in Monasterio Praemonstratensi die 23 mensis Maii anni 1598. — Vester Confrater Franciscus a Longo-Prato, monasterii Praem. electus Abbas. — A tergo : R. Patri et Confratri, Iohanni de Terreros, Abbati Retortae ».

12. Hispani conscii abbatem generalem a Longo Prato, secundum exemplar praedecessoris sui Despruets, Provinciali Hispaniae non plus conferre velle quam iurisdictionem delegatam, statuerunt appellare ad Summum Pontificem. Quod negotium commissum est confratri procuratori Bernal, qui paulo post hanc bullam a S. P. Clemente VIII obtinuit (ms. 993 Nancy, pp. 169-170) :

« Clemens P.P. 8 ad perpetuam memoriam :

Ex debito ministerii Pastoralis, ad nostra studia libenter convertimus, per quae Religiosorum vota praesertim et foelicem eorum statum concernentia, optatum suum consequuntur effectum : et ea, quae propterea pie facta et ordinata esse dicuntur, ut firma et illaesa persistant, cum a Nobis petitur, approbamus, et confirmamus, prout in Domino conspiciamus salubriter expedire.

Cum itaque, sicut accepimus, in Religione Praemonstratensi Provinciae Regnorum Hispaniarum inter alia decretum et ordinatum sit : quod quolibet triennio duae visitationes fiant, altera per Visitatores ante Capitulum privatum, altera vero per Provincialem, quae

ita debet fieri, ut ante Capitulum iam peracta sit. Ipsi vero Provincialis et Visitatores cum ad visitandum accesserint, nullo intervallo adhibito, visitationem perficiant. Deinde quod in Capitulo per factam renuntiationem R. Provincialis generalis, vel si ipse propter suspensionem aliudve impedimentum non poterit assistere electioni, Diffinitor antiquior proponat Congregationi electionem novi Provincialis, exhortando omnes in Domino, ut sincera et pura mente, Deum et bonum Religionis prae oculis habentes, eligant magis dignum et idoneum : dispositis votis, Generalis, si fuerit praesens, vel Diffinitor antiquior pronuntiat electionem coram tota Congregatione Provincialis electi, et talis electus sine aliqua recusatione acceptet electionem. Et si P. Generalis fuerit praesens, confirmet electum, in absentia autem ipsius a quatuor Diffinitoribus qui electioni interfuerunt, confirmatio petatur. Et quia ex pluralitate exemptorum plura inconvenientia sequuntur in toto Circuitu Hispaniae tantum sint quatuor Magistri, qui habeant exemptiones a Religione determinatas, qui essent Examinatores eorum, qui praesentandi sunt ad petendam licentiam Episcoporum ad audiendas Confessiones et ad ministranda alia sacramenta, ne cum ad examen pervenerint a ministris Episcoporum tamquam inhabiles reperiantur. Quod Congregatio non possit istorum Magistrorum numerum multiplicare, et nominati a Congregatione confirmentur.

Cumque dilectus Procurator dictae Religionis, eius nomine, nobis humiliter supplicaverit ut praedictas ordinationes, quae dictae Congregationi valde utiles sunt, Apostolicis favoribus et gratiis prosequi volentes, ac illius singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, siqui illis quomodolibet innodatae existant, ad effectum dumtaxat praesentium consequendum, harum serie absolventes et absolutos nos censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati ex sententia venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium super consultationibus, et negotiis Episcoporum et Regularium praepositorum, praefata decreta et ordinationes quatuor Magistrorum huiusmodi confirmationes auctoritate tenore praesentium perpetuo approbamus et confirmamus, illisque perpetuae et inviolabilis firmitatis robur adiicimus. Ac omnes et singulos, tam iuris, quam facti defectus, si qui intercesserint in eisdem supplemus. Eademque pro potiori cautela denuo decernimus ac ordinamus, ab omnibus et singulis, ad

quod spectat, et futurum quomodolibet spectabit, ad unguem, et inviolabiliter custodiri volumus, et praecipimus. Decernentes visitationes, electiones et confirmationes et quaevis alia contra praemissa decreta et ordinationes facienda, nulla et invalida, nulliusque roboris et momenti fuisse, et esse. Sicque per quosdam iudices et commissarios, quavis autoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attenturi. Quo circa dilectis filiis, Nostro, et Apostolicae Sedis Hispaniarum Nuntio, et Decano Ecclesiae Segoviensis, necnon Archidiacono de Seria, in Ecclesia Oxomensis, per praesentes mandamus, quatenus ipsi, etc. Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die 20 Novembris 1599. Pontificatus nostri anno 4^o ».

Et ita, in praxi, scissio inter Praemonstratenses in Hispania et extra Hispaniam viventes, completa erat.

J. B. VALVEKENS, O. Praem.